



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani E Societate Iesv Medicvs Religiosvs De Animorvm Morbis Et Cvrationibvs

Scribanius, Carolus

Antverpiæ, 1618

Liber Tertivs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46194)

LIBER TERTIVS.
 S V P E R I O R V M
 A C
 I N F E R I O R V M
 COMMVNES MORBI,
 ET CVRATIONES.

CAPVT I.

Orationis neglectus.

RRATIONE enim tanquam rore suo, aut cælesti imbri destitutus animus necesse arefcat, abeatque in vagum puluerem, omni vento sæcularis afflatus variè dispellendum. Et sanè qui agro quantumvis natura sua fertili imbrem roremque foecundantem subtraxerit, ille simul speratos fructus in semine tanquam falce demetit. Ac licet nonnunquam semen bonitate sua exurgat, spemque in herba promittat; nisi nube rigetur, æstu sæuiente, omni meliore succo viduatur, vt in cineres tandem diues illa sponsonibus herba fatifcat, ornatu

natu suo nudata, spoliata robore. Eadem in animo cogita. Sortitus aliquis mentem bonam est, & promittebat Dominicis horreis messem amplam; verum negatus celos suos, & fecundans subtracta pluvia, miseram reliquit sibi, omnesque illas locuples sponiones vertit in arenam. Caelstes illae pluviae mentem vndique irrigantes, & quadam pinguedine sua fecundantes, gratiae sunt caelo repositae, quas ex opulenta nube sua depluere Dominus consuevit in animum orationi ac pietati deditum: nec ferè delabi gratiarum illum imbrem copioso fluxu permittit, nisi orationum precumque vi pellectus. Credas nubem illam diuinam non pluere, nisi antè mentium nostrarum vapor summa petierit, ac quasi in caelestibus orationum vi concreuerit, à caelesti sole magno in sublimè tractus. atque hinc Propheta Regius:

Psal.

142.

Meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. & commodissimum huic orationum generi nocturnum ac matutinum tempus.

Psal. 62

hinc illud eiusdem: Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te. &

Psal. 76

Et 33.

Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. & alibi: Pra-

uen-

*uenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer
eloquia tua.*

Vt cibo potuque spoliatum corpus diu vitam tolerare non potest; ita & mens nostra orationis cibo frustrata, quo vno nutrirī, foueri, roborari solet, omni breui spiritali vita exuitur. nam vt corpori terrestri cibus suus terra est, ita animo caelestia caelestibus sperari cibis debet. quo frustratus contabescat, ac quasi meliori succo emedullatus, exarescat: maximè dum vis illius concupiscentiarum vndique ignibus obfessa eneruatur, hostilibus illarum flammis excocta; euigoraturque robur omne, potenti harum incurſu protritum, vt nisi à caelo nouæ accedant vires, noua suggerantur roborata, diu salua consistere mens nostra non possit: sperari verò à caelo non debent, nisi valido orationum nostrarum prouocamento excitatus Dominus caelestibus suis donis roborauerit egentem, stipaueritque contra incurſantia inimica agmina potentibus dexteræ suæ armis, firmisque illam diuinæ gratiæ propugnaculis fulserit, ac in circuitum vallauerit contra nocte dieque procurſantes hostiles acies: vt quantum nimirum hinc inimicitarum ac oppugnationum, tanta inde gratiarum ac propugnacionum materies sub-

subministretur. quod sine orationum affi-
duo cultu frustra speremus.

Et ipsa sanè oratio, validum in omnes
hostiles procurfus propugnaculum est:
illa enim mens nostra de propinquo iun-
cta Deo, sub protectione dexteræ illius,
omnes hostiles ridet conatus, valentiore
clypeo diuinæ manus tecta; perenni que
diuinæ potentia associatione, non metuit
minitantes ac procurfantes mundi ac in-
ferorum acies. Ut dama in summo inae-
cessi montis vertice venatorum ridet co-
natus, & sævientium infrà canum illud
rabie secunda de loco: ita anima oratio-
num quibusdam alis ad suprema euecta,
& Deo suo inhærens, de vicinitate illius
omnem hostilem sæuitiam contemnit, se-
cura de protectione. Eleganter in hanc

Lib. 2.
de Ora-
tion.

rem Chrysostronus: *Quemadmodum ciuitas,
que muris cincta non est, facile venit in pote-
statem hostium: propterea quod prorsus absit
id quo fuerat hostium incurfus arcendus: sic et
animam non munitam precibus diabolus facile
in suam redigit potestatem, nec multo negotio
omni scelerum genere implet. Nam ad animam
quidem precibus munitam, non audet propius
accedere, metuens robur ac fortitudinem; quam
illi deprecatio subministravit, magis vegetans
animam quàm cibus vegetat corpora.*

Quod

Quod anima corpori, hoc oratio est anima. illam qui sustulit, vita simul exiit; hanc qui subtraxerit, meliore vita spoliabit: & cum omnis animi vigor, vitaque à caelestibus donis, diuinisque inspirationibus pendeat, quibus necessum est carere mentem, quæ ex orationis neglectu talibus destituitur, fit vt mortuo similior sit, vt quæ caelesti vita, qua vna verè viuit, spoliata, in ignauo quodam sopore consepulta iaceat. Et sanè nisi continuo diuinorum influxu fulciatur, labascit & colliquescit tota, mortemque bibit, tot modis diuocitumque ab inimica inferorum manu propinatam, ignara generis sui, improvidaque futurorum, immemorque creatoris sui ac Dei: & iam hosti mancipata, & duro æternum seruitio obstricta. Hinc illud Chryso-

*Lib. 1.
de orando Deo.*

Quisquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est & vita carens, ex parte sana mentis. nam hoc ipsum euidentissimum signum est amentia, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod anima mors sit non proualui ad Dei genua. quemadmodum enim corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profecto mortuum est ac foetidum, sic anima nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera, ac grauitè olens. Et deterior

P longè

longè animæ mors est, quacunque corporis morte; cùm destituta anima cælesti vita sua, orationis neglectu, graui somno defossa iacet, vt nec diuinæ virtutis rorem influxumque sentiat, nec mala sua perferant, nec amissorum bonorum desiderio tangatur; tanquam vna obliuionis spongia, quidquid fuerat antè bonorum, deletum videatur. quæ omnia ab orationis demisso studio paulatim irrepunt, donec ad extrema demum hominem suum deducant, & ad miseranda Religionis precipitia propellant.

Exempla nos docent illorum, qui deferta Religione, ab orationis ferè neglectu initia ruinæ duxerunt; neque quisquam ad crimina descendit, aut in iis inualuit, callumie obduxit, qui non antè in orationis studio intepuit; vt meritò oratio meditatioque tutelaria arma, validaque aduersus hostem propugnacula dici possint, quibus munitus animus, nullo hostili robore superari potest. stat inuictus aduersus carnem, mundum, diabolum, validis his spitalibus armis protectus. Sed neque exarescere mens potest, perenni hoc orationum fonte rigata, cælestiumque indies gratuitis donis perpluta. quòd si validè vndique oppressa ceciderit, promptius
exur-

exurgit, periculaque vulneraque orationis ardoribus excita agnoscit; neque diutius prostrata licet, inharere luto huic potest, quæ potentibus hisce diurnis adminiculis, & tanquam auxiliaribus præualidis copiis fulcitur.

Quod cor viuenti, hoc oratio est animæ. illud sustuleris, vitam ademeris. orationem tolle, & tanquam clauo & cęstibus animæ vitam excusseris, quam ab oratione habet. qua spoliata, tanquam in ignauo sopore prostrata ac conssepulta iacet.

Quod condimenta mensis, hoc animæ oratio. infusus sine illis cibus, & fastidio ac nausæ propior: idem euenit animæ oratione destitutæ, nausæabundos transiget annos, & in ignauo languore, ac displicentia etiam sui desidem vitam trahet.

Quod gemma annulo, hoc oratio animæ. annuli decor gemma, animæ gloria oratio: à qua splendorem lucemque accipit, gratam cęlestium oculis, adeoque & Dei.

Quod flos horto, pomerio poma, botrus vineæ, nemori laurus, pascuo flumen, vallibus torrentes, fontes montibus; hoc animæ oratio. hinc mentis gratissimi flores quibus cęlestis Sponsi vertex coronatur, hinc illa malogranata dilecti manibus

decerpta, hinc botrus vineæ Engaddi quo inebriatur sponfus, hinc æterna laurus nullo fulmine ferienda, hinc felicia oculorum flumina, torrentesque singultibus ab alto ductis proruentes, fontesque summo montium Domino salientes.

Quod lasso requies, mœrenti gaudium, inopi aurum, fatifcenti robur, nerui corpori, spiritus sanguisque vitæ; hoc animæ oratio est. alta securaque pace mentem firmat, ingenti lætitia perfundit, cælorum opibus donat, vires suggerit, diuinoque quodam spiritu animat iacentem ac torpentem, ac nobiliore quodam cælestium donorum sanguine, pectoris mentisque venas implet.

Quod sol diei, luna noctibus, nauigantibus stellæ; hoc oratio est animæ. sol enim diem animæ pulsa criminum nocte statuit, cælestique lumen præfert, diuini que amoris radiis calefacit, gratiarumque donorumque; fecundo influxu inopem mentem, omni que ope destitutam locupletat: scelerum verò tenebris oppressis, densaque delictorum caligine circumseptis, errantibusque; in tenebricoso peccatorum senticeto, noua luna felices aperit & ostendit, & à fallentium errore viarum reuocat. tentationum denique fluctibus oppressis, sæuisque tentationibus iactatis, inter scopulos

pulos & breuia oppugnantium nos vndique hostium, tuta littora, portumque gratissima stella designat, desperatisque rebus, & tantum non insurgentium vndique undarum procellosis iactibus absorptis manum eminus porrigit, & ad tot votis, suspiriis, lacrymisque optata deducit.

Quod gluten, calx, clavi, funes iungendis firmandisque rebus, hoc oratio Deo & homini, qua vna tanquam glutine adnectimur, tanquam calce astringimur, tanquam clauo conterebramur, tanquam fune colligamur illi. Deme quibus illa in humanis iunguntur, & collabascunt quæ associata mutuo fuerant. tolle orationem, qua vna coadunescit anima Deo, nec multo, dilabimur, & denectimur illi, quantumvis potenti prius orationum vinculis constricti. ita perpetuari oratio debet, si perpetuanda cum illo coniunctio est.

Quod secures præualidis secandis lignis, quod mallei ignesque ferro domando, hoc oratio duris veteribusque peccatorum nodis secandis, ac inueteratis, ac quasi chalybatis criminum consuetudinibus contundendis ac emolliendis est.

Quod speculum faciei, hoc oratio animæ est. illud maculas detegit, oratio animæ æuos, vt nihil reconditæ deformita-

tis, aut internæ inuenuſtatis latere diu poſſit orationis ſpeculo propoſito. intima enim peruadit, & nudam oculis proponit. ſiquid tortuoſum, ſi quid degenerat aut aberrat à fine cui creatum, vniuerſum nudat & aperit, & tanquam è latebris eruit, ac in apertam deducit lucem.

Quod muſica homini, hoc oratio Deo, neque enim vllus illi cōcentus gratior oratione ſupplici mente & corde prolata. nullus illi cantus ſuauior, inter ſuſpirioſos ductus tanquam inter ſaxa & ſcopulos mœrentis animæ & cupientis diſſolui, & eſſe cum ſponſo ſuo: nulla illi muſica ſonantior denſis oculorum fluminibus imbricata, ac tanquam ſalientium ac ſuperne cadentium lacrymarum modulis variegata: hinc tarde ac quaſi gemmatim profilientium, vt ad grauitatem de compoſito credas fluere; ibi celeri motu ac quaſi mutuo ſe fatigantium & opprimentium lapſu, vt in multitudine feſtinoque lapſu arbitreris ludere; vbique in venuſtatem, lætumque cæleſtium oculis proſpectum.

Quod cella vinariaſtienti, quod torcular muſto plenum, quod vinea odorato flore grauida, quod arboribus floribuſque conſitus hortus; hoc oratio eſt animæ, vt
bibat

bibat & inebrietur sponsus. neque alijs clauibus amoris cellæ aperiuntur, aut cælestia referantur vasa, aut torcularia redundant, aut vineæ diuitem autumnum spondent, aut animorum horti gratos cælestibus fructus, cæloque perennaturos flores spondent.

Quod hominibus cellæ aromatum, hoc oratio est animæ. hinc illa currebat in odorem vnguentorum dilecti sui, non alijs quàm orationis passibus; & non alijs quàm orationum sponsæ suæ odoramentis excitus sponsus, columbam suam, speciosam suam amplectitur.

Quod gladius anceps bis acutus, bis hostem feriens, hoc oratio animæ. in quamcumque enim se aduersarius partem verterit, signa intulerit, aciem direxerit, paratum orationi deditum reperiet. quodque instructissimus exercitus in inimicam aciem, hoc oratio est animæ. nam hac vna cælorum angelorumque legiones, ipseque cælestium ductor legionum Deus, euocatur. neque instructior alia acies est, quàm mutuo sibi succedens oratio.

Quod nobilissima medicamenta morbis medendis, hoc oratio est animæ. neque potentior vlla medicatio, nullaque certior curatio quàm ab oratione venit. Docent

hoc omnium atatum exempla. nobile fanè mithridaticū, generosa theriaca oratio est. cui valentissima inferorū, mundi, carnisque venena comparata flaccescunt.

Quod corona regia nobilissimarū gemmarum multitudine variegata regio vertici, quod armillæ aureæ pretiosorum lapidum textura collucentes, quod ornatus regius argento, auro, purpura grauidus regio corpori; hoc oratio est animæ. Nulla enim gemmæ cælo lucidiores oratione, qua verticem, collum, brachia dilecti sui sponsa, tanquam nobili amoris vinculo stringit, sibi que æternū adnectit. nulum argentum, aurum, purpura cælo gratior. hac vna decorat sponsum suum sponsa, purpuratque nobilissimo auro gemmisque intertexto pallio, amoris sui tessera, latè interlucentibus votiuis flammarum suarum desideriis, tanquam primis cælorum stellis.

Remedia.

Frequentes Superiorum de damnis neglectæ orationis exhortationes & monita: de fructu etiam & varia utilitate frequentatæ orationis.

Exercitationum spiritualium annuus vsus; & frequentior etiam, si qua necessi-

tas

tas postulauerit, aut maior quædam igna-
uia teporq̄ue hominem occupauerit, vt
annuo vno exercitiorum igne non videa-
tur posse accendi.

Præfectorum spiritualium in hanc rem
incumbentium assidua sollicitudo, dili-
gensq̄ue in vnoquoque inuestigatio, seriaz-
que monitiones.

Frequens lectio piorum librorum, eo-
rumq̄ue maximè, qui de neglectæ oratio-
nis damnis, quique de fructu, emolumentis,
& orationis necessitate scripserunt.

Iuuabit in primis frequens seriazque co-
gitatio innumerabilium propè bonorum
quæ ex vnica oratione diuite vena pro-
manare solent.

Hac vna quidquid in humanis intercur-
rit aduersitatis, tanquam molli spongia
deletur, aut tanquam flumine diluitur,
aut tanquam valido vento inimicæ nubes
metum incussuræ pelluntur, omniaque
procurfantia mala vt leues aquilone ia-
ctatæ paleæ difflantur.

Hæc tormentis superiores cultores suos
facit, pœnarumq̄; contemptores, ignibus,
clavis, ferro, cruce maiores; neque sentit
animus in neruo, sub ense & securibus qui
per orationem coniunctus Deo est. cre-
das in aliena carne carnifices sæuire, cum

mens per orationem conditori suo iuncta est.

Hæc facit contemptorem sæculi, cum hac vna discat homo, quantum inter cælestia & humana discriminis interiaceat, quantoque diuina terrenis potiora, quantumque æterna perituris antistent.

Hæc intellectus illustratus nil nisi cælestia sapit, desipitque illi quidquid hîc magnum & nobile, quod illis comparatû non nisi calcantium protrimendum pedum est.

Hæc voluntas cælesti amore inebriatur, vulneratur, nec quidquam iam felici vulnere faucia præter dilectum quærit celo reclusum: illum turturis instar compare destituti, suspiriosis questibus amore languidis, lacrymisque suauè fluentibus, ardentibus votis deposcit.

Hæc vna ingentem animo voluptatem parit, cum mens cælestibus potata gaudiis mœrorem omnem detergit, illumque in gaudialem diem conuertit.

Hæc incorruptos nos seruat Deo, cum hac vna salis instar condiamur, & ab omni vitiorum putredine intacti seruemur. nescit mens purulescere hoc animorum sale confricata, intactamque se sponso suo seruat.

Hæc vna ductrice virtutes omnes pa-
ran-

antur, vitia extirpantur. Docemur hoc
atatum omnium sæculorūque exemplis,
cū eos legamus omnibus semper virtu-
ribus cultissimos fuisse, qui speciali oratio-
nis prærogatiua florent.

Hæc nos iungit Deo, disiungit sæculo,
discriminatque ab huius amatoribus. sine
qua sola ab his veste diuidimur; paresque
nos angelis facit. cū hac vna ad angelo-
rum fastigia tollamur, & mente Deo quo-
dam familiarioris coniunctionis nexu a-
stringamur, & quantū diuina permittunt,
mutuæ cuiusdam amicitia vinculo colli-
gemur.

Sanè nihil tam potens est quod oratio-
ne non consequamur. hac scelerū veniam
consequimur, extensam in vindictam iu-
dicis manum, animumque flectimus, æter-
nis ignibus poenisque abolitis. hæc enim v-
na certa vt præmiorum, ita & poenarum
felix procreatrix est. sine qua nullæ cælestes
gratiæ, auxilia nulla speranda sunt. petite
& dabitur vo bis. mentiri Veritas non po-
test, præmia petenti spondet; negatura
torpenti.

Et certè vana sine hac omnis nostra
religio est, & vmbrae similis, cū quidquid
solidæ religionis est, ab oratione tanquam
capite, & diuite fonte defluat; inanisque
omnis

omnis sine hac medulla, sine his nervis, sanguineque vis ac robur, & umbræ quam corpori similior sit. nemo verò huius cultor aut cecidit gravius, aut diu in delicto prostratus iacuit, cum orationis quadam quasi manu erigeretur in pedes, in spem vitæ melioris, peractæque poenitentiam culpæ,

Qui verò hanc negligit, præcipitio proximus est, facilis ad lapsum, pronus in ruinam, cum, quibus per orationem firmabatur præsidis ac fulcimentis, spoliatus sit.

Et nemo sanè carni reliquisque vitis paruit, nisi hac nudatus. nemo hac munitus sanguinè hosti dedit, vulneraue mortem allatura retulit. quid? quòd adeò potens ab hac vna medicatio petatur, ut innumeri huius solius præsidio firmati in æterna castitate steterint. cum perpauci hac destituti in sepulcrum castimoniam deduxerint.

Et verò quicumque Religionis desertor audiuit, antè orationem proiecit & calcavit: à cuius neglectu, per contemptum ad iurata Religionis signa deserenda, regia via descenditur.

CAPVT II.

Ariditas, & in oratione distractio.

QVA mens tanquam terra sibi relicta, nullo aut rore rigata, aut pluuia de cælo pasta, arefcit, abitque in cinerem, ventis non multo post insurgentibusque tempestatibus futura ludibrium: vel quacun- que etiam decidua cælesti nube fecundata fuerit, quibuscunque mortificationis rastris ac vomere proscissa; manet tamen in inerti sua sterilitate, nec nisi perpetua vigilique cura assurgit aliquando ex ignaua & infœcunda sua procubatione. Quod vt facilius dignoscatur, remediaque malo huic admoueantur, ariditatis ac distractionum harum causæ examinandæ sunt. quare videndum,

Num ex innata quadam naturæ conditione, instabilitate ac leuitate, quæ certis adhærescere nesciat, aut vni insistere, aut materiæ defectu, discursus inopia, aut adnata ariditate malum oriatur. quod frequens multis malum est, eoque maioribus remediis eget, quò cum natura illis pugnandum est: frequensque hoc vitium non tantum in iis, qui omni studiorum ad-
iumen-

iumento carent; sed doctis etiam, quibus innata quædam mentis inconstantia est, aut quibus impotens imaginationis vis dominatur, quaque violentè in alia rapiuntur, ut incogitantes ab omni oratione alienissimis immergantur. Crederes nauem validis irruentibus aquilonibus, nequidquam pugnante domino, ad inimica litora rapi. quo maior cura ac sollicitudo adhibenda, ac principiis omni studio occurrendum est, præscindendo omnes auocantium occasionum radices, nec vel tenuibus parcendo ne exurgant in maius malum, habitumque induat qui patitur, & è leuibus his initiis innascantur, non nisi violenta postmodum manu medicanda.

Num ex inordinato ad vitia affectu, siue à natura ingenito, siue vsu exercitationeque comparato: quæ res impedimenta adfert plurima, nec patitur mentem cælesti rore rigari: saxescit enim, ac quasi rûpescit anima vitiorum habitu roborata, omnifque è cælesti nube imber prouens è rupe hoc monte facilè dilabatur; aut sanè vitium profundam vitiorum arenaream congeriem decidens tam altè ariditate illius, exsucco que solo imbibitur, ut nulla propè tantarum cælestium aquarum vestigia supersint. Euertendum proinde omne hoc
solum

solum frequenti potentiq̄ue suspiriorum ductu, tanquam rastris; excindendæq̄ue animorum illæ rupes violenta manu, serio conatu, frequenti lacrymarum fusu. nec desperandum aut intermittendus labor, donec cum radice excaudicemus malum. Maior omni malo animus sit, & vincemus. Nihil inuictum audenti; succedit sperata victoria, si validè insistamus operi. Terretur tiro clamoribus & minis, veterano etiam vulneribus crescit animus. Idem conandum nobis, ab ipsa difficultate animus fumendus. Vincet quisquis vincere audebit.

Num ex occupationum multitudine, quibus spiritale semē suffocatur, animusq̄; ad externa rapitur potenti illorum dominatu totus possessus, ac quasi in seruitutem redactus, assiduoq̄ue illorum vsu adeò altè pertinētus, vt vix elui hic color possit, quacunque etiam cælesti pluuia inebrietur.

Num ex cælestis influxus subtractione ariditas hæc proueniat. Cause hîc inuestigandæ negati aut subtracti influxus, diuinarumq̄ue gratiarum; nostra ne culpa subtractio hæc euenerit, impedimentane à nobis iniecta sint; repercussus cælestis influxus duritia cordis nostri, delapsus frigore.

re.

re ac tepore nostro, protritum nimia ad sa-
 cularia effusione, excussus contemptu, ac
 ingratitude nostra, repullus peccatis
 nostris; proiectus, ac in fugam actus oc-
 cultis vitiis nostris, superbia inprimis, mē-
 te non casta, detrahendi facilitate, mutua
 charitatis dispersione, obedientiae ac pau-
 pertatis neglectu, regularum ac constitu-
 tionum transgressione, politici & saecula-
 ris ac aulici spiritus prosecutione ac imi-
 tatione? An verò nulla causa nostra, sed
 vel innata quadam naturae, tanquam pul-
 uerulenti soli, ariditate. An solius Dei nu-
 tu, idque aut in meritorum augmentum,
 aut exercendae virtutis ac roboris causa,
 aut in exemplum denique & instructio-
 nem aliorum.

Quibus omnibus serio occurrendum,
 cum ferè ex hac ariditate spiritualium re-
 rum nausea enascatur, omniumque vir-
 tutum fastidium; cum languorem suum
 mens considerat, tadioque ac diffidentia
 quadam speratae emendationis, in despe-
 rationem tandem melioris consecutionis
 labitur, indeque ad extrema malorum om-
 nium prorumpit, ad vocationis suae lan-
 guorem, neglectum, contemptum, defere-
 tionem, ad vitia denique omnia. Neque
 quidquam tam graue aut immane est, quod
 his

his initiis, tanquam è copioso fonte, fertili-
 que vena non profluat, ac in apertum
 vitorum omnium campum profiliat. Ut
 merito huic malo magnis remediis occur-
 rendum sit, ne vniuersa animæ nostræ area
 cælesti imbre destituta, arescat tota, & in
 steriles soluatur arenas, aut in noxias de-
 generet miricas, in venenarios frutices, in
 cespites dominum fallentes, solaque fuli-
 ginosa fauilla diuites, spemque fœcundæ
 glebæ solique mentientes.

Validè nos monet Cyprianus: *Quæ se-* De Ora-
tion.
Dom.
*gnitia est, alienari & capi ineptis cogitationi-
 bus & profanis, cum Dominum deprecaris? qua-
 si sit aliud quod magis debeas cogitare, quam
 quod cum Deo loquaris. quomodo te audiri à
 Deo postulas, cum te ipse non audias? vis esse
 Deum memorem tui cum rogas, quando ipse
 memor tui non sis? bene in segnitiei detesta-
 tionem, in verecundiæ prouocationem.
 audiri venimus: & dum preces fundimus,
 animus aliis distinetur. Simulationis hæc
 species est, & illudentis non deprecantis
 Dominum. nemo reus iudicis aduolutus
 pedibus incertus de exitu, inter mensarum
 delicias animo lætus accumbit: nemo pau-
 per eleemosynam supplicibus deposcens
 votis, opes suas ostentat: nemo æger me-
 dicas in dubia valetudine deposcens*

Q ma-

manus ludit & ridet. nos tot criminum re-
omnium egeni, extremis malorum mor-
bis iactati, peccatorum vulneribus con-
si quid exspectamus? remedia poscimus
& tam ignavo frequenter pectore, ut o-
randi potius videamur venisse quam ora-
turi. hinc illa increpantis Domini verba

Mat. 15. sunt: *Hypocrite, bene prophetavit de vobis Ise-
ias, dicens, Populus hic labiis me honorat, et
autem eorum longè est à me.* Scio vix sperari
in humanis posse, ut ab omnibus aliarum
rerum cogitationibus liberi vacuique, so-
li Deo inhæreamus, nec iactemur aut fe-
ramur sæculi motibus; conatum tamen
adhibebit Religiosus, totumque se dispel-
lendis illis impendet, dolebitque de impor-
tunis variarum rerum procurfibus monito-

Collat. 23. c. 7. re Cassiano: *Quis tantum spiritus potuit con-
quam retinere feruorem, ut non interdum lubricis
cogitationibus, in ipsa quoque orationis inten-
tione translatus repente de caelestibus ad terre-
na corruerit? que licet omnia nonnullis qui sunt
crassioribus vitiis inuoluti, leuia, atque à pecca-
to penè aliena videantur; scientibus tamen per-
fectionis bonum, etiam minimarum rerum mul-
tudo grauiissima est.* Sequatur proinde ma-
gno conatu Apostolum præeuntem: *Orabo
spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam
& mente.*

Reme-

Remedia.

PRimi generis iuari poterunt, si frequentibus feruentibusque mentem animent pascantque iaculatoriis orationibus: memores Apostoli, *Orationi instate vigilantes in ea. & Sine intermissione orate.* *Colof. 4. 1. Thess. 5.* Frequenti etiam sed breui ferè, & interrupta piarum rerum lectione; ac si quando meditationi se dederint, propositæ meditationis primo pūcto perlecto, seriò de eodem aliquid cogitent, similitudinibus, aliisque à se inuentis materiam extendentes, claudantque breui aliqua oratione. Transeant deinde pari modo ad secundum, tertium, quartum, donec inueniant in quo animus magis conquiescat, in eoque persistant.

Secundi generis; si laborauerint, vt affectionum radices assidua cura, & particularis examinis studio euellant, sperare victoriam possunt, maximè si temporario & aduentitio malo tenentur: si adnato, & quod cum ipsa quasi natiuitate adoleuit; maiore diligentia & assiduitate opus erit, maiore etiam cautela & custodia sui; amico etiam aliquo monitore, maximeque spiritualium rerum Præfecto, qui vbi

Q² di-

dignum aliquid monitione obseruauerit, non parcat.

Tertij generis nulla videntur re magis iuuari posse, quàm frequenti per annum spiritualium exercitiorum repetitione: frequentata enim per exercitia meditationes facillè animum memorem sui, etiam in medijs occupationum turbis stant, nec patientur superuacue effundi.

Audet in medijs occupationibus regijs
Psal. 38. Propheta, *Concaluit cor meum in tenebris, & in*
Psal. 140. *meditatione mea exardescit ignis. & Dirigatur*
oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

quid non poterit Religiosus si conatū adhibuerit? Iuuabit etiam ante occupationum aggressiones, animū cum Deo componere; illisque finitis, dicta factaque seculum examinare. vnde illud Sapientis: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.*

Ecclesi. 35 Quarti generis, animi submissione (*oratio humiliantis se nubes penetrat*) tolerantia, perseverantia, spe meliorum, diuinorum decretorum conformatione iuuari poterunt: maximè si sibi persuaferint, ariditatem hanc, subtractionemque diuini influxus euenire ad gratiæ & gloriæ augmentum, ad amoris & ardoris excitationem; dum negata in amorem sui prouocant, fot-

fortiusque accendunt, & alliciunt ad se animos, & tanquam calcaribus cogunt, parantque ad condolentiam in aliorum ariditatibus: ad erudiendam deinde mentem, in aliorum instructionem; ad submissionis augmentum, & spiritualis superbiae victoriam; ad virium etiam nonnunquam conseruationem, ne ex spiritualium consolationum & illustrationum affluxu contabescant; ad patientiæ denique exercitationem, imbecillitatisque suæ cognitionem, cum vident, quàm nihil possunt, cum solitariè sibi relinquuntur.

Nemo hîc dicat, Non possum. quanti omnium litterarum rudes, inculti, omnibus educationis probæ præfidiis destituti, moribus indomiti & efferi, & barbara gente nati, ad summum orationis apicem venerunt: si non desit animus, reliqua aderunt. nulli enim tam natura nouerca fuit, quæ illum orationis præsidio nudauerit. facile est protendere cælo manus, mentem, verba. & si verum illud Sapientis est: *Appo-* *Eccli. 15.*
suit tibi aquam & ignem: ad quod volueris por-
rige manum tuam. ante hominem vita & mors,
bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.
quoniam multa sapientia Dei, & fortis in po-
tentia, videns omnes sine intermissione. oculi
Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnē

operam hominis. Nemini mandauit impiè agere; & nemini dedit spatium peccandi. quanto promptiùs faciliùsque mentem per orationem coniunget Deo, Creatori, Domino, Regi, Iudici, Medico, Redemptori, Patri, animæ suæ Sponso? nulli occludit ostia Deus & Pater, cùm ipse vltro prouo-

Apoc. 3. cet: Ecce sto ad ostium & pulso. si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intra-

Matt. 23. & alibi: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? non repelle, admittere rogantem. aderit; nec solitarius. non solet nuda venire munificentia, sed cælestibus instructa gratuitis dónis, quibus obsequentem, pasci & ornari desiderantem, cibari

Prou. 8. & beat animam. delicia enim illius, esse cum filiis hominum. nulla hoc in re elucet magis, quàm in oratione: vt gaudere videas Deum, si potenti submissaque suorum oratione, prouocetur ad donà, ad familiares congressus, ad amicas mutualque fermocinationes, vt exuisse illum arbitris personam Dei, induisse hominis.

CAPVT III.

*Neglectus lectionis spiritualium
librorum.*

E Quibus hauriuntur arma tutelaria ad-
 uersus hostes, quorum robore oppri-
 muntur, medicaminaque in spiritualium
 morborum, priusquam animum obsede-
 rint, præcautionem; ubi obsederint, de-
 pulsionem: discimusque ex his non ma-
 gno negotio, quæ multorum sæpe anno-
 rum dubia non rarò pugna, & periculis
 non tantùm proximi, sed & immerfi, &
 obruti etiam malis didicerunt viri magni:
 ut quasi vno oculi iactu & morborum &
 medicamentorum, pugnarum & victoria-
 rum discamus genera. ita quod aliis sudo-
 ribus & sanguine stetit, nobis non magno
 labore parèmus. Idem hîc accidit, quod
 aurum per immensa terrarum marisque
 spatia, inter vitæ mortisque spem me-
 tumque quærenti; quod alteri extra peri-
 culorum terrores laborumque molestias
 vtrò defertur.

Et ferè videmus eos qui piorum libro-
 rum lectionem negligunt, ad minùs pro-
 batos decurrere, è quibus non rarò noci-

Q4 turas

turas flammam hauriunt: & iam ardet fornax, & iaculatur in propinquo flammam quorum antè pectus frigora & glacies confrinxerat.

Completur deinde homo totus vesaniis his ignibus, non multo post in alienum seculum erupturus; historiis etiam fallentibus & mentientibus, inaniumque litterarum scoria, vanissimarumque fabularum narrationibus. inde iam furit in tragœdia, amat in comœdia, liuet in satyra, ludit in epigrammate, adulatur in elegia, bellumque intonat in aliis, omnemque intus non raro faciem induit noui alicuius lupanaris. & ferè harum rerum curiosiores gentilitatem cum his imbibunt, & cum illa animæ mortem.

Hinc colloquia nascuntur parum religiosa, modesta, casta, sæculum & aulam redolentia, alienissima ab omni pietate: & totus homo procurrat in historias aut veteres, aut nuperas, in narrationes nihil nisi vanitatem loquentes; vt in exilium pulsam credas omnem sermocinationem religiosam. sequuntur liberiores cachinni, immoderati risus, gestus solutior, vox clamorior, diffunditurque vniuersus homo in sæculi mores. Contra quos piorum librorum frequentata lectio delectat, paria
etiam

etiam colloquia, & cogitationes delectat; ut in medijs etiam externarum rerum occupationibus, pijs cogitationibus pascantur, facileque ad illas in quacunque etiam secularium consuetudine descendant, utanturque pro re nata talibus magno solatio suo, magno aliorum fructu; monendis etiam, & ad optima quæque impellendis, copiosam in promptu suppellectilem habeant, qua & solentur mœrentes, reprimant effusos, erigant deiectos, deprimant arrogantes, animent timidos, refrenent audaces, mitigent iracundos, excitent languentes, recreent afflictos; medicamentis denique ad omnem spiritalem morbum curandum abundant. Neque enim deesse his remedia possunt, è tot præstantissimis spiritualium rerum officinis de prompta.

Sed neque deesse materia potest in omni serio, aut familiari colloquio, proximorum saluti aptata: semper enim ex ijs quæ a lectione reposuit assiduus spiritalium lector, ad manum habet plurima, quibus utatur, ac tanquam è locuplete penu depromat vina, magnorum antea torcularibus & calamis protrita.

Et ferè optimum quemque Deoque coniunctissimum piorum lectionibus delectari

Q5

lectari

lectari videmus; plusq; ex illis solidæ haurire voluptatis, quàm quotquot sæculo immersi ex omni conuiuiorum apparatus inaniumque lectionum & confabulationum serie: cùm & animi gaudia certiora, tutiora, puriora, potentiora omnibus corporis voluptatibus sint, possessoremque suum via recta ad felicem æternorū fruitionem ducant; corporis verò ad interitum, & miserandam pœnarum flammarumque perrennitatem.

Et experiuntur illi, qui studiis hisce capiuntur, tanta frequenter animorum solatia, tamque valida, vt præ his non delignant orbis imperia; contemnantque quidquid hîc magnum, tanquam verrucam terræ adnatam, tanquam folium aquilone raptum, tanquam puluerem vento agitatum, tanquam bullam concha excusam; rideantque magnorum omnium conatū in gloriam, in diademata & sceptrâ, in purpuram & opes momēto eripiendas, & vt plurimū ignibus præmiandas.

Discet deinde ex his libris lector morbos sæpe suos, quibus ignarus premebatur; simulque remedia discet; variarum etiam tentationum, & inimicarum fraudum circumuentiones, dolosafque hostilium insidiarum machinationes, vt cùm
dolos

dolos cognouerit, nouaculaſque ſpongia
tectas, effugere ſciat pericula, & immi-
nentia vitæ damna. totum denique ſei-
pſum, tanquã in ſpeculo intuetur, abdita-
rumque ſæpe ægritudinum intima depa-
ſcentia viſcera cauſas agnoſcit, mortem-
que è propinquo minitantem: de cuius
vicinitate, aliorum docetur exemplis, vi-
reſque roburque induit, prudentibus Scri-
ptorum conſiliis, tanquam clypeis, ferro
& vallo cinctus; variamque breui ſapien-
tiam colligit, cum è ſingulis quod pruden-
tiſſimum eſt haurit, ac tanquam in vnum
faſciculum compoſitum ſibi ac occurren-
tibus neceſſitatibus ſeponit, uſurus ubi res
ratioque poſtulauerit.

Iam cum in humanis animus ſibi non
ſufficiat, ſed à variis ferè profutura mutua-
ri cogatur, breuique ſcriptorum compen-
dio, multorum ſudoribus vti poſſit; facile
videmus quantis deſtituantur auxiliis, qui
aut aliorum, cum poſſint, meſſes colligere
negligunt, aut alienos labores contem-
nunt; nec horrea quidem ſua aperire di-
gnantur, aut torcularia mutare, alieno
autumno grauidanda, aut alieno pecore
ſtabula locupletanda.

Et ſanè ſtolidum videtur, quod ſine la-
bore poſſis, ingenti ſudore, nec raro non
pro-

profuturo, parare velle: quasi ingratae sunt opes, quæ vltro obueniunt, ac, nisi sanguine sudoreque diu tingantur, displiceant. Docemur ab apibus, quæ à variis propinanda mella sugunt, etiam à venenatis quibusdã floribus; vt mente captum non immeritò dicas, qui vltro oblatam ab aliis scientiam, rerumque prudentiam contemnit; tanquam si inglorium sit, alienis notibus & lampadibus erudiri, & sapientiam discere.

Remedia.

Frequens prouocatio sui in amore librorum piorum, certumque in eorum lectione tempus diebus singulis seponere, quod nullis occupationibus elabi patiatur.

Examini etiam particularis circa hanc rem institutio.

Communicatio cum aliquo spiritali viro circa ea quæ quis legit, & maxime cum Præfeto spiritus, aut illo non inferiore.

Pia quædam curiositas in variorum lectione excitata, desideriumque varia cognoscendi. Prudenter Hieronymus: *Vnum illud tibi nata Deo, præq; omnibus vnum prædicans*

Ad Demetriadem.

eans & repetens, iterumq; iterumq; monebo, ut
 animum tuum sacra lectionis amore occupes, nec
 in bona terra pectoris tui, sementem lolij au-
 narumq; suscipias. & alibi: Maximum ad iusti-
 tiam auxilium est, implere diuinis eloquiis ani-
 mum, & quod opere exequi cupias semper cor-
 de meditari. ibidem: Præcipua tibi cura sit, le-
 gem nosse diuinam, per quam possis quasi præ-
 sentia cernere exempla Sanctorum, & quid fa-
 ciendum sit, quidue vitandum, illius consilio
 discere. Inuitat in hanc lectionem magnis
 nos sponsonibus Augustinus: Sunt quedam
 deliciae sanctæ in libris, sunt gaudia spiritalia ex
 diuinis eloquiis scrutatis & inuestigatis, ex
 dulcedine inuentionis, quam præcessit labor in-
 quisionis.

Ad Ce-
lantiã.

In Psal.
38.

CAPVT IV.

*Examini diurni neglectus, aut perfun-
 ctoria conscientie discussio.*

QVÆ res maiora secum damna trahit,
 quàm prima fronte cuiquam videatur:
 nam cum ex seria, & non perfunctoria
 sui discussione & mala retentantur, & ma-
 lorum causæ; perfacile est ad eorum re-
 media deuenire, secareque ad radicem,
 aut cum semine ipso euellere. quod in le-
 ui-

uibus, ac à superficie tantū tentatis morborum discussionibus perdifficile est: in quibus perrarò ad malorū fontes descenditur; vt vel palliata tantū ex illa nascatur curatio, vel ignauo hoc neglectu, tacitè succrescat malum, viresq; sumat maiores, quàm vt vis vlla postmodum allicitaſque curaſque domet & frangat: reperitque tandem homo animæ suæ hortum cum certo interitu ſementis bonæ, tribulis, ſentibus zizaniisq; tam dense valideque conſitū, vt niſi ferrum & ignem admoueat, deſperanda ſalus & ſœcunditas ſit. Ita quæ neglectu inualuere mala, morâ ipſâ ingentia incrementa ſumunt, cūm ſœcundior ſemper fertiliorq; noxi-
orum prouentus ſit. quod in accurata diurna excuſſione locum habere non poteſt, cūm hac vna, quidquid noxium eſt in ſemine, & à radice, tenero etiam tum caule euellatur. neque enim patitur ſeria hæc diurnaſque cura mala ſuccreſcere, aut in nocituros frutices arboresque coaleſcere.

Nascitur ex examinis diurni neglectu ſpiritualis quidam tepor, ac totius hominis languor: qui examinis vi excitari ſolet, ac tanquam ſuppoſito igne exardeſcere, & exurgere in flammæ, quibus animi gelu diſcuſſionis frigore concretum ſoluitur.

omni-

omnisque mentis torpor tanquam acrioribus suppositis aculeis pellitur, animique somnus vigili hac excubatione pulsatur.

Labitur etiam facile ad sæculi mores, quicumque hanc sui discussionem segnius obit. neque pronius quidquam est, quam ad illos prolabi, cum firmamenta tuendæ Religiosæ modestiæ desint; quæ à diurno examine petenda sunt: nam nisi continuo quasi freno mentem contineas, ad assuetam, & naturæ adgenita dilabitur.

Spiritualibus etiam spoliatur armis negligens discussor sui. neque enim solet illius mentem Deus spiritualibus armare subsidiis, ac tanquam auxiliaribus copiis protegere: sed cælestibus destituit influxibus, quibus & se tueatur, & audenter in hostes eat. sed neque vlla re validius armatur pectus, quam noxiorum depulsu, salutariumque accensione. vtrumque solerti conscientiæ discussionem consequimur.

Exiit hinc etiam paulatim cognitione diuina, cum enim ex huius neglectu, sui ignorance tanquam densa nube integatur homo, fit ut in cæleste lumen acciem intendere non valeat. soletque Deus lucis suæ radios iis subtrahere qui & prioris vitæ noctem, & diurnas incurfantes tenebras assidua cura non depellunt; sed

in

in alto negligentia cuiusdam somno inter-
pescunt perpetuis erroribus ac labyrinthis
inerrantes: è quibus nunquam se ex-
plicabunt, caelesti sole subtracto.

Sed & nulla re alia à primæuo maiorum
spiritu degenerare plerosq; videmus. nam
cum diligenti sui discussione & prava e-
mendetur, & futuris prospiciatur damnis
fit vt illius neglectu & excrescant mala, ac
tanquam habitū quendam induant, eant-
que quasi in naturam, nec præcaueantur
damna; sed cæco quodam impetu in illa
prorueamus, ac tanquam atra nube tecti in
præcipitia voluamus. Et nulla certè respu-
blica diu stare potest, quæ legum transgres-
soribus impunitatem concedit, & in qua
cum bonis negentur præmia, tum impro-
bis condonantur pœnæ. idem in animo,
& interiore mentis republica fieri consue-
uit: in qua nisi iudicem adhibueris qui de-
licta puniat, qui in omnem partem inten-
tum oculum habeat, qui que seria indaga-
tione in transgressionem inuigilet; nihil
expectandum aliud, quàm quod in repu-
blica iudice destituta.

Magnam etiam homo ex hac diligenti
discussionem sui ipsius cognitionem conse-
quitur: qua destitutus, nulla propè spes
reliqua bene prudenterque dirigendi fa-
luris

lutis vias. neque enim fortuito quis se suaque cognoscet. magnum studium assiduaque diligentia necessaria est, ut quis tam abdita, totque inuisi vijs recondita, tot anfractibus implexa agnoscat. quod ferè solius examinis vsu euenire consuevit. discit deinde ex hoc quibus subiacet pericula.

Crescit è seria hac cogitationum, verborum factorumque disquisitione, prudentia. neque enim ille facile cogitatione, verbo, aut re ipsa labitur, qui sua omnia ad quotidianam incudem reuocat. qui que quoties prolixiora cum externis habita colloquia, toties in se redit, audita dictaque discutit. maturitatem enim talis ac circumspersione in omnibus induet, doctus tacere & loqui, neque facile in pœnitenda aut erubescenda proruet.

Magnum etiam ex hac accrescit animo robor. cum enim illa duce in noxiorum veniamus cognitionem, quorum detractione melior manet animi habitudo, fit ut huius vires solidentur: non secus ac corpus corrupti sanguinis emissionem roboratur, valetudini que suæ restituitur.

Continetur dehinc mens in perpetua quadam puritate ac castimonia. ut enim ex assidua zizaniorum eliminatione agrorum

R rum

rum perstat integritas, frequentique domus ac vestium emundatione, nitor quidam ac mundities seruatur: ita frequentis seriaeque sui discussione, mentis quidam nitor seruatur, ne aut sordibus obtegatur, aut aliquid de splendore remittat, aut maculas contrahat; quibus improuida cuiusque negligentia crescentibus, omnis decor obfuscat. quod ubi euenerit, nihil familiarius, quam nitoris, puritatis, castimoniae loco, sordes & impura vota subnasci.

Ducit deinde haec discussio ad contemptum sui, magnamque animi submissionem, cum in miseriarum nostrarum nos cognitionem deducat, milleque subtilissime mentis causas praebet, ac quadam verecundia totum hominem perfundat. indeque exurgit in admirationem laudisque protegentis, eleuantis ac miserantis Domini: cum & delictorum suorum frequentiam, & ignoscentis Domini benignitatem contuetur: maxime cum inter illa nouorum semper beneficiorum augmenta videat, meritarumque toties peccatorum condonationem. quae omnia non possunt non ad toties totque nominibus debitarum gratiarum actionem hominem impellere: simulque metum incutere, ne
fi

si negligentiores in hac fuerimus; benignam misericordemq; manum suam subtrahat, & ad immania præcipitia labamur.

Paternum ac benignum in aliorum lapsibus animum inducit, commiserationis viscera aperit. dum enim sua diligens scrutator delicta cognoscit, periculaque quæ sola potenti diuina manu euasit; facilis in aliorum colpis est, nec tam indignatione, quàm commiseratione impellente medicam ac paternam manum adhibet, confusus infirmitatum suarum.

Instruit etiam ac erudit, peritumque animarum medicum statuit. neque certior quisquã illo est, qui in se mala expertus est, quiq; ex se, aliis mederi didicit, præcauere damna, præsentia pellere, providere futuris. ille namque, & morborum magnitudinem, initia, incrementa, exitum, & medicamentorum vim expertus, facilius tutiusque in alio exercet, quod in se didicit. neque vlla certior scientia est quàm quæ experientia nascitur.

Magnam deinde spiritualis lætitiæ causam præbet. cum diligenti hac discussione, peccata ac imperfectiones mœrorum ac dolorum causæ euellantur; ac tanquã validis frequentatisque ventis, noxiorum habituum nubes depellantur. hinc ingens

R. 2 exur-

exurgit animo gaudium; innocentiae nimirum suae, diuinæq; protegentis se dexteræ: quod gaudium in illa mente esse non potest, quæ ingentium secum turbarum causas circumfert. nam cum è negligentis sui discussione, vitia habitusque prauis indies augmentum sumant, necesse etiam prauorum motuum ac turbarum causas crescere. cum nullis aliis rebus, tam potentes insurgant animo tempestates, quæ illum continua iactatione tanquam decumanis fluctibus variè in omnem partem impellunt.

Denique ex hac sui sedula peruestigatione, ingens delictorum poenitudo, meliorisque vitæ seriò institutio exoritur. hic enim æternum profuturae fluunt lacrymæ, quibus tanquã flumine sordes eluuntur; exurgunt ab alto ducta suspiria, quibus tanquã præualido fulmine cælos penetramus. Et sanè cum è neglectu examinis huius, in densa ignoratione nostri versemur, sic ut paulatim grauißima etiam crimina ignoremus, obducto mentis oculo, frequentata scelerum congerie. cum contrà, quidam hac sui disquisitione assuevit, non facile in poenitenda labatur; aut si labatur, remedia ad manum habeat, seipso post robustior & cautior. adeoque vix fieri potest,

vt

vt qui feria ac diligenti bis per diem discuf-
fione conſcientiam perſcrutatur, in gra-
uius aliquod delictum corruat; maxime
cum in ſingulis diſcuſſionibus animum in
delictorum, etiam minimorū feriam pœ-
nitudinem, ac emendationis proſiſtitum
excitet, in præteritorū lapſum ſeuerum
dolorem, ac in futurorum cautam prou-
dentiam.

In quam rem illud in primis proderit,
ſi in ſingulis conſcientiæ diſcuſſionibus,
ſerio, & non perfunctoriè particularis ali-
cuius vitij, in quod frequentius labimur,
rationem à nobis feriam poſcamus, con-
ferendo inter ſe præſentis hebdomadæ
dies, diſpiciendoque quos in proſiſtiti vi-
tij victoria progreſſus fecerimus, cum for-
ti validoque emendationis proſiſtito. quæ
res vel vna ad vitiorum extirpationem, ra-
tioresque lapſus plurimum poteſt.

Remedia.

Magnorum in Eccleſia virorum in
exactam examinis inſtitutionē nos
merito mouere debent monita. Ephrem
verba ſunt: *Diebus ſingulis veſperi & manè* Tom. 3.
diligenter considera quo pacto ſe habeat nego- Serm.
tiatio tua, ac mercimonij ratio. & veſperi qui- Ascet.
dem ingreſſus cubiculum cordis tui, examina

R 3 *teipſum*

teipsum & dicit, Putasne hodie in aliquo Deum
exacerbavi? nunquid verba otiosa protuli? num
per contemptum negligentiamq; peccavi? num
in re aliqua fratrem irritavi? num alicuius fa-
mam, detractionibus laceravi? Eadem matu-
tino tempore præscribit. eademq; S. Do-

Serm. 1. rotheus: *Vesperis sedulo quisque perquirat &*
investiget, quomodo pertransierit diem illum.

Lib. de *vita* *solit.* *rursum manè examinet quomodo exegerit no-*
ctem illam. & D. Bernardus: Manè præterita
noctis fac à temetipso exactionem, & ventura
diei tu tibi indic cautionem. vesperi diei præ-
terita rationem exige, & superuenientis noctis
fac indictionem. sic districto nequaquam tibi
lasciuire vacabit.

Bonorum, quæ à seria ac frequentata
conscientiæ disquisitione nascuntur, re-
cordatio; malorumque ac periculorum,
quæ à disquisitionis neglectu proficiuntur,
commemoratio. & ferè sola frequens
diligensque disquisitio sui satis erit ad om-
nia vitia superanda. Sapienter Chryso-
stomus: *Hoc solum est quod à nobis expositur,*
ut semper recordemur mala nostra, & conscien-
tiam gestorum nostrorum habeamus ante ocu-
los, ut pro his supplicemus Deo.

De cõp.
cordis.

Fortis, ac sæpiùs iterata apud animum
suum propositio, seriò in accuratam con-
scientiæ examinationem incumbendi.

Quòd

Quòd si quæ impedimenta intercurrerint, quæ dilationem suadeant, aut consuetum examinandi tempus adimant; nullo tamen casu, quantacunque necessitate occurrente, omittenda disquisitio hæc erit; sed primo quoque tempore à grauioribus vacuo, exequenda.

Proderit etiam vitæ mortisque incertitudinem sæpe sibi proponere, variorumque subitos casus, miserandos & inexpectatos exitus, momentaneosque excessus, & in summa non rarò valetudine, robore ac iuuenta, improuidos raptus: è quibus timorem similis in nobis exitus prouocemus, perque serias has conscientiarum disquisitiones, mentem ad subitas has & momentaneas mortes paremus. Ad quam rem iuuabit in primis, si quando aut grauius delictum, aut grauius periculum occurrerit, non expectare consueta disquisitionum tempora, sed subitam in se excitare pœnitentiam, prouocareque in se contritionis actum.

Consultum etiam fuerit, si quâdo negligentia nostra disquisitio hæc omissa fuerit, vltro ne aliqua pœnitentia animum ad maiorem sui curam prouocare: vt hac quasi monitione teporem, ac ignauum à se neglectum pellat.

CAPVT V.

Tepiditas in iis quæ spiritum tangunt.

VT non immeritò tales lenta tabe, & feбри hectica consumi dixeris, quorum robur pedetentim emedullatur, nec sentientes mala sua corruant; quoque ruinae propiores sunt, eò minùs pericula sua persentiscant.

Nec alteri rei commodiùs hæc tepiditas, animique languor comparari potest, quàm blattis & tineis, interiora validorum etiam lignorum rodentibus, vt si moram feceris, nudum corticem, exeso robore reperias.

Rectè etiam assimilari tepidus potest hydrope aut aqua intercute laboranti, à qua paullatim opprimitur & suffocatur. Ignauus planè morbus, qui à paruis initiis serpendo, tibias ferè, indeque vniuersum corpus occupat: suffocatque quidquid generosorum spirituum toto sparsum iacebat corpore, enecatque quidquid magnum abditum latebat fibris, vertitque in limosam quandã saniem quidquid venis claudabatur valetudinis bonæ.

Melancholicis etiam humoribus pregrauato

uato similis est tepidus : nauseabundo in omnibus stomacho. ad omnia varius & inconstans, sibi aliisque grauis, aliorum contemptor & fugillator, inuidiaque in superioribus aliorum successibus intumescens. cui cum nihil placeat, displicent omnia. frigidus calentesque iuxta auerfatur. nec bonus haberi potest, nec malus vult. *Vult nimirum & non vult piger, anima* ^{Prou. 12} *autem operantium impinguabitur.*

Sed & similis est limaci, ignauissimæ inambulationis pigra fœdaque vestigia relinquenti; cum inerti volutatione corpus reptando trahit, signatque ignauas circumductiones spurca colluie, ingenti spectatium calcantiumque fastidio. idem in tepido reperies, qui in omni actione, teporis sui lenta vestigia relinquit, nauseam ardentibus paritura & sanè nihil ab illo expectes, præter ignauas quasdam molitiones. pigro tepore signatas, vt aliquid voluisse illum potius, quam fecisse deprehendas: adeoque nec voluisse quidem, nisi quæ propensionis suæ amica, amicum teporem fouent.

Vetus dictum & verum, Potior est exercitus ceruorum leone ductore, quam leonum ceruo duce. vt videamus omnium gentium sententia, quantum possit ardor,

R 5 ani-

animusque excelsus; quantum secum de
trimenti damni que trahat mens vilis &
tepore quodam cincta. leo nimirum vnus
tot ceruos leones facit, ceruus vnus tot
leones ceruos. Ita accensus ductoris ani-
mus in reliquos ardorem ignemque diffun-
dit; mens tepida ducis in omnes teporis
languorisque sui virus iaculatur. Ad ardua
fanè, & victura idoneus esse tepidus non
potest; cum quæ in posteritatem abitura
sunt, calorem & ignem quendam exigant
sine quo nemo manum extendit ad vi-
ctura. Ingens nimirum animus esse debet
qui ad excelsa dexteram porrigat. hunc
animum interior quidam æstus propellit.
at in tepido languet omne pectus, caret
que hoc magnarum cogitationum prouo-
camento. & fanè nisi amoris quidam æstus
hominem protrudat, quid sperari magnū
potest? cum ab vno amore meritorum ma-
gnorumque mensura nascatur. ab illo ne-
mo excluditur. pares Reges diuite que
seruis pauperibusque sunt. nulla conditio-
num, genituræ, opum, honorum discrimi-
na amor nouit. hunc amorem in tepido
non reperies: ardoribus enim amor omnis
fulcitur, ignorat frigora. Iam quam mer-
cedem à Deo tepidus speret, mercedis
mensura destitutus? neque enim ille tam
dono-

donorum magnitudinem, quàm largientis ardorem intuetur. misera alioqui futura pauperis conditio, qui sola mente, magna magnis remuneranda præmiis donare potest. ita viduæ illius Evangelicæ laudatus animus, non minuta duo. & maiora hæc fuerunt magnorum thesauris, cum ab ingenti animo duo venirent minuta, abitura in talenta, si opes animis pares fuissent.

Nec in vno primo possessore suo tepor hic manet, sed noxiæ instar scabiei ac pruriginis contubernales occupat. arbitreris lepram latè se spargentem, ac in obuia quæque sæuientem. ita serpit hoc malum, & ab vno capite totam propè non rarò familiam occupat. extinguiturque vnus exemplo ardor quidam mentis, ac quasi iniecto flumine tepescit prior flamma. & qui ignis antè fuerat, nunc solo fumo, ignem aliquando fuisse ostendit. pœnitet nimirum ignium quia pœnitet laborum: molliaque blandaque amplectimur, cum domesticum exemplum videmus. noxia enim potentia in exemplum & imitationem sunt.

Ingens deinde teporem pusillanimitas comitatur, animus deiectus, variij metus ac timores plurimū inanes, suspicionumque

que integra nemora. quæ omnia potien-
 darum rerum desperatione clauduntur:
 qua malorum omnium extrema nascun-
 tur. bonitatis diuinæ diffidentia, misera-
 tionis desperatio: ac denique cælestium
 non iam neglectus tantum, sed & contem-
 ptus quidam. nam cum labores fugiat, vi-
 deatque se ad illa sine his peruenire non
 posse, in contemptum illorum deuoluitur.
 cum carere cælestibus malit, quam sudo-
 rem in illorum prosecutione fundere. ita
 carior illi cælestibus sudor est. vt similis sit
 illis qui apud Sapientem inclamant: *Ex-*
tinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus
diffundetur tanquam mollis aër, & transibit
vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut
nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis solis.
Venite ergo & fruamur bonis, vino pretioso &
unguentis nos impleamus, & non pratercat nos
flos temporis, coronemus nos rosis antequam ma-
cescant: nullum pratum sit, quod non pertran-
seat luxuria nostra. cum enim desperent cæ-
 lestia quæ solis laboribus parantur, ver-
 tunt conatum suum mollem ad humana,
 omnemque in iis felicitatem ponunt, cum
 non magnis sudoribus hæc parentur, vt
 quæ obuia sint, & vtrò etiam se ingerant,
 imò & non rarò etiam reluctantes se ob-
 trudent.

Sap. 2.

Et

Et verò nemo è nobili Religioso vertice, nisi per immania teporum præcipitia ad malorum profunda delapsus est: vt per tepiditatis incrementa, tanquam per præcipites gradus, aut decliua montium, ad infelicia præcipitia labamur. nemo etiam Religiosam stationem signaque in qua iurauerat desertor reliquit, qui non priùs à teporibus his proritatus ac delinitus, longa quasi manu ad turpem infortunatamque fugam deductus fuerit. nemoque spiritalis militiæ desertor audiuerit, qui excusso tepore, fortiter Religiosam semitam presserit.

Benè dictum à Sapiente: *Spuria vitulina non dabunt altas radices, aut stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tepore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. confringètur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* Spuria in Religione vitulina, & torpore quodam desides sunt, remotissimi à germanorum Dei filiorum affectu. neque altas in ea radices tepor aget: neque debilius vllū fundamentum tepore est. cui quidquid superstruitur, aduersis ingruentibus, radicitus euellitur: sed neque si excreuerit in arborem,

Sap. 4.

rem, ramos fructusque dabit perennaturos: ac si quos dederit, insuaues, & in uillas aut quasi in farinam comolendo dabit. insipida enim omnis operatio tepentium est, & stomachum motura. unde

Apo. 6. illud: *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Nec mirum hoc videri debet. cum tepidus omnis instar tepentis sit aqua, vomitum prouocantis. quid verò foedius vomitu in humanis? nauseantis verò hinc stomachi consuetudo exprimitur, qui noxia à se valido impulsu repellit, vt reliquo corpori bene sit: ne, si nocitura hæc contineat, ad reliqua abeat hoc virus, & toti paulatim corpori interitum paret. Hinc grauis etiam illa interminatio, *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* nec mirum, cum in tantæ maiestatis oculis constitutus, ignaui quadam socordia diuinas res exequitur, tantis promissionibus locupletatas, tanquam si res ludicras pertractaret. ita deludit in re salutis, infelici plurimum exitu luditur; & seriò destituitur à Domino, qui non seriò tanti Dei res peregit.

Iere. 48.

Fortiter proinde per Sapiëtem nos Dominus ad labores inhortatur: *Vade ad formicam, ô piger, & cõsidera vias eius, & discè sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præcepto-*

ceptorem, nec principem, parat in aestate cibum
 sibi, & congregat in messe quod comedat. Vt
 quequò piger dormies? quando consurges è somno
 rno? paullulum dormies, paullulum dormitabis,
 paullulum conseres manus tuas vt dormias, &
 veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies
 quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, ve-
 niet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet.
 Erubescat tepidus doceri à formica. cælo
 natum doceri ab infima bestiarum, & pru-
 dentiam discere ac futurorum prouidentiam
 ab insensato animalculo. vt paret hic
 sibi quod æternum prodesse queat: tepore
 nunquam parauerit. labore & sudoribus
 æterna veniunt. Nam quid aliud speret
 torpore marcescens, quàm vt ab egestate
 tanquam ab armato prematur, perenni-
 bus celorum diuitiis exclusus? *Egestatē enim* Pro. 10
operata est manus remissa: manus autem fortium
diuitias parat. Sapiētis verba sunt & illa: Pro. 28
Qui operatur terram suam, satiabitur panibus:
qui autem sectatur otium, stultissimus est. Ad-
 dit, *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, fra-* Pro. 13.
ter est sua opera dissipantis. Et illud, *Pigredo* Pro. 18.
immitit soporem, & anima dissoluta esuriet.
 Egestatem anima remissa, fortium verò
 manus viriliter certantium, & de genu pu-
 gnantium, quibus à vulnere & sanguine
 crescit animus, opes parabunt æternas.

Hinc

Hinc meritò stolidissimi censendi sunt otij sectatores, quibus animæ panes cælestes gratiæ, & æterni fontes cælestium donorum negantur. hinc illa esuries, & infelix tepentium sitis, quæ à negato cælesti cibo potuque nascitur; atque hinc etiam promissorum diuinorum bonorum abdicatio. hæredes eramus. excludit nos tepot vt tam illustribus indignos. quæ sola virtute, vigili cura, profusis sudoribus, infesso labore parantur.

Eleganter torpentem describit Sapiens: *Pro. 26. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam conuerterit. Et tamen sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.* Commoditatibus nimirum suis tanquam molli lectulo indormit piger, frigora metuens. hinc illa ignauia retractæ dexteræ, ori que cibum negantis. negat subtrahitque hunc sibi animæ cibum tepidus, laborem fastidians, quo solo cibus ille paratur. nec pudet illum à puellis puerisque vinci: quorum non pauci contemptis calcatisque mollibus, per dura & aspera cælesti cibo pasti sunt: per vulnera nimirum & sanguinem cælo inscripti. &, quod stolidissimū est, sapiens sibi piger videtur; quasi prudenti circum-
spectione

spectatione & ignes & frigora fugiat, & ini-
 mica corpori deuitet: gaudet nimirum
 blandè ludentibus, & quadam dulcedine
 molliter dissuauiantibus: damnat quos du-
 ris & asperis calcatis, per ardua viam sibi
 ad æternitatem sternere videt, quasi na-
 turæ aduersantia vltro auidi amplectan-
 tur: ignari, æterna illis præmia, torpenti-
 bus verò nullo æuo morituras pœnas pa-
 rari. & *Per agrum hominis pigri transiui, & per* Prov.
vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant 24.
urtica, & operuerant superficiem eius spina,
& maceria lapidum destructa erat. tepenti-
 bus enim dormientibusque nobis, ac tan-
 quam de re salutis nimiùm securis, nocitu-
 ra aduersarius semina inspargit, opplet-
 que malarum cogitationum ac desiderio-
 rum zizaniis pectus; valido antè virtutum
 aratro subactum.

Hoc malum vbi inualuerit, ad ardua
 quæque ignauissimos reperies, sed neque
 facillima nisi placentia admittent. Vrges,
 & instas operi? negant se posse, inualetu-
 dinem causantur, onerisque munerisque
 magnitudinem, impares vires.

Succedit his quædam spiritualium re-
 rum nausea, horror paupertatis, obedi-
 tiæ & pœnitentiæ, omnisque omnino
 austeritatis; dum mollia captat animis;

S

&

& blandientibus se totum immergit, de
feruescente spiritus ardore, ac vniuersim
mutua refrigescente caritate.

Itur deinde regia via ad corporis com-
moda, ad prodigam in cibum, potum, so-
mnum profusionem, ad voluptatem de-
nique suaue ridentem, prouocantem, &
ad se molles hosce spiritus allicientem.

Neque aliud sperari ab hoc tepore po-
test. nam vbi elanguit ardor spiritus, ex-
tabuitque pristinus æstus, ac quasi in fa-
uillam cælestes antè flammæ abierunt, ni-
hil nisi inanem fumum, leuemque ac eua-
nidum vaporem sperare possumus.

Et certè abacto pristino ardore, animi-
que calore emortuo ac consepulto, o-
mnium spiritualium rerum mortem quan-
dam ac interitum sequi necessum est: inci-
pitque exinde viuere caro, cùm quantum
illi spiritus decedit, tantum illi vitæ acce-
dat; quantumque spiritui cura cælestis
subtrahitur, tantum huic sæcularis auræ
succrescat. è tepore proinde illius, ardor
huius enāscitur: ita namque in his com-
paratum est, vt quantum detrahatur vni,
tantum addatur alteri, quantum decrescit
vni, tantum alteri accrescat: vt vnus inter-
itus, vita sit alterius.

Inuigilandum proinde ne noxius hic
tepor

tepor animum occupet. nam vbi illum semel possederit captiuumque duxerit, nequidquam ferè melioribus ignibus excites: tam alto sopore pectus illiditur, vt nec potentissimis quidem spiritalibus prouocamentis è profundo, quo tenetur, somno, ad se redeat, & nihil iam huic in omni vita feriam. vt ludicra, & comœdiæ scenam grauissima quæque peragit: nec vt sua, sed vt aliena retractat: si dederis, accipiet, & vix aliquâdo vel offerenti manum porriget: quòd si vltro non inieceris, nec desiderabit quidem, multoquè minùs sudorem effundet, aut laborem impendet: sed neque spe felicitis æternitatis, aut infelicitis æternitatis metu commouebitur: in gloria, aut inglorius vitam ducat, iuxtà habebit. propone vtriusque vitæ præmia, laboribus terretur: propone huius & alterius iudicia vitæ, tabescet ignauia; nec aut ad vnius gloriam, aut ad alterius prouocabitur tormenta. narra quæ æternitatē tangunt, fabulæ illi videntur; quæ Iudicem Deum, tragœdiæ fragmentum. Nec plurimum magis præmiis pœnisque propositis mouebis, quàm cadauer minis: imple mentem terroribus, imple gaudiis, virtutis speciem propone, & quidquid in illa prouocat in sequelam, in admirationem, in

laudem, in animi tranquillitatem & pacem nullo calamo explicandam; adde caelestem amorem, & quidquid vnquam flammaram iaculatum est cælum, quidquid ignium infernus; emarcidum truncum arbitraberis: nisi quòd belluarum prore pronus rapiatur in corporis commoda, felicitatemq; in his ponat suam: quidquid verò ingenio, labore, industria assurgit ad magna, execratur.

Sed neque fidi huic quidquam potest, nec tutò aliquid committi, vnaque fides huic beatitudo est, in ignauo otio & fabulis consenescere: nisi quòd, vt dixi, carnis plerumque vitia sequantur hunc teporem, eò maiora validioraque, quo languor hic maior est, altioresque in homine radices egit. quod vbi euenit, nihil in eo, non dicam Religioso, sed nec Christiano dignum reperies.

Remedia.

ORationum, meditationum vsus frequentior, piorum librorum, vitarumque Sanctorum frequentata lectio: neque credi potest quantum exempla in imitationem possint. puerorum enim virginumque ignes calcantium, tormentis tanquam

ros in ambulantiū, pœnas tanquam mensarum delicias amplectentium, cogitationes, quem non teporem pellant? iam Christi Domini passio, calentes lacrymæ, fusus sudor, sparsus sanguis, immitia verbera, corona spinea, immania vulnera, clavis, crux, lancea, quid non poterunt in religioso pectore, si seriò frequententur?

Mortificationum deinde, Sacramentorum, ac confessionis vsus solito maior: consultissimumque fuerit fortibus pœnitentiis tanquam immixtis ignibus teporem pellere. validissima enim remedia sunt quæ à sensibus petuntur. magnus ille est, qui nusquam pepercit sibi: prudens, qui in se punit quod in alio displicet: fortis, qui pœnarum metu ad magna se cogit.

Spiritualium exercitiorum crebrior repetitio; frequens vsus piarum apud Deum aspirationum, maximeque earum, quæ aut in amorem illius, aut in laborem expræmiorum aut pœnarum magnitudine impellunt, mentemque ad duriora ac diuina prouocant, auocant à suauibus & perituris. quæ si frequententur, tanquam perpetuis flammis inardescit animus, ac tanquam suppositis ignibus æstuant præcordia Deo plena. quibus accensus non facile intepefcit animus.

S 3

Dili-

Diligens examen orationum, ac meditationum factarum, seriatimque negligentiarum distractionumque in illis disquisitionum. Serium deinde emendationis propositum, excitationesque pellendæ tepiditati idoneæ. Neque satis fuerit in eo qui tepore hoc oppugnatur, si bis per diem examen instituat. iteret frequenter, post Sacram, Horas, pias lectiones, conciones, catechizationes, prolixiora colloquia, studia. Incredibile est quantum breuia hæc examina, mentem sibi præsentem contineant, quantum animent; dum & lapsus suos & pericula intuetur, & fortibus se ipsum propositis ad magna exacuit.

Frequens consideratio diuinæ præsentia, magnitudinis illius, potentia, scientia. hæc qui propius considerabit, facile teporem exuet inimicum Deo.

Iuuabit etiam in terrorem cogitatio iudicantis Dei, incertitudinis vitæ, æternarum pœnarum, paratorumque cælo præmiorum. vtriusque enim æternitas vehemens calcar est fortiter audèdi & explèdi.

Proderunt etiam frequentatæ per diem cogitationes, Omnem diem primum, omnem vltimum esse; illum in ardorem, hunc in terrorem. & magnorū illud, Quare venisti? quis instituti finis?

Com-

Commodorum deinde incommodorumque discussio, quæ aut ex ardoribus, aut tepore nascuntur, non poterit non ingenti spe bonorum, malorumque metu, mentem accendere ac terrere, teporemque omnem excutere. verè Prosper: *Sicut* ^{Sent.} *corpori noxium est, corpoream escam non posse* ^{112.} *percipere; ita animo periculosum est, spirituales delicias fastidire.*

Causam denique teporis consultissimam fuerit inuestigare, inuentamque valida manu euellere. neque sanè quidquam facilius quam repertam pellere: qua etiam ignorata, nihil solidi sperandum est. cum ab huius cognitione omnis victoriæ spes pendeat. & principiis maximè inuigilandum est. maximè cum in hoc vitio à tenuissimis & que propè sensum omnem fugiunt, quasi per insensiles gradus ad extrema ducamur, eorum more qui per præcipitia labuntur, qui non antè desinunt quam ad ima variis infelicibusque volutionibus deuenerint. initiis proinde fortiter insistendum, ne in medio infortunatissimarum volutationum serò remedia cogitemus, cum non teporè tantum sed & nauream ac spiritalium contemptum imbiberimus. Iam cum hostibus vndique cingamur callidis audacibusque, non tepenti-

bus consiliis opus est. domesticam patimur carnem, quæ nullam oppugnationibus moram concedit: ambientem mundum, ludentem, blandientem, allicientem, multa promittentem: insurgentem crudeli, effera, subdolaque simul infestatione demonem, singula vigili cura obeuntem, ac in omnem momento omni perdendi occasionem intentum. quo magis tantis domi forisque hostibus in æternis nocendi excubiis stantibus, ignavia teporeque pulso, inuigilandum quaqua parte salutis est. nusquam indormiendum. omnia etiam tuta circumspicienda, metuenda: nusquam, nunquam arma ponenda, ne hostili pateamus ferro, ne insidiis, ne in gloria tandem exitu tepentem pigramque vitam signemus. Et sanè turpe est Religiosum, ab opum, honorum, voluptatumque amatoribus vinci: quos ingenti ardore alacritateque ad summa vitiorum tendere videmus, non sudoribus, non sanguini parcentes. & quid non audent auida humanarum fors hoc momento periturarum rerum sitis? quanto molimine in breui peritura insurgit; cum audaci calcatu per contemptum etiam vitæ ad ruitura vota sua pergat? Turpissimum verò tantis illis æstibus in momentanea hæc insurgentibus, Religiosos

giosos beata æternitate propofita, ad cælorum non peritura præmia, ignauo protrudi potius quàm progredi greflu. quid hic fperet, nifi qualia ab ignauo pectore exfpectanda funt, post grauem nimirum cum euangelici talenti foffore, Domini reprehentionem, pœnarum æternitatem?

Temporis autem ferè hæ cauffæ. I. Conſuetudo è ſæculo in Religionem deportata, quæ in naturam abiit. hæc valido frequentiſque conatu, ac quaſi flatu prouocatis ſopitis ignibus, & ſæcularium adhuc cogitationum cinere tectis, contrariisſque conſuetudinibus pellenda erit.

2. Naturalis quædam animi inconfantia. qua nulli certæ rei inhærentes, ad varia ſemper manum protendimus, nouorum auidi, veterum pertæſi: omnia nimirum tentafſe iuuat, cum vna ferè veritas virtusſque gradientur via; dubia ſemper error, ſui conſiliorumque ignarus.

3. Defectus bonæ voluntatis. quæ vna potentiffima ſpiritualium omnium profectuum cauffa eſt. excitanda illa erit Chriſti Sanctorumque exemplis, pœnis, præmiis, æternitatis vtriuſque.

4. Imprudens & ſupra vires feruor, violento molimine expreſſus; qui ferè in languorem degenerat, cum indifcreto conatu

tu robur omne paulatim exeritur, vires
que vniuersim concidunt, totaque valetu-
do eneruatur, nec se ad magna potest ex-
tendere, intempestiuis ardorem labori-
bus fracta. prudentia corrigendum hoc
malum, & sapiente Superiorum ductu.

5. Domesticæ disciplinæ neglectus. cum
temporis languorisque omnis, coniuuentia
excessuum, mater sit: qui Superiorum vi-
gili cura emendandus. vetus enim illud
verum, Vbi rigor, ibi vigor. si prudenti Su-
perioris manu ducatur, ne nimius rigor
in seueritatem labatur, inde in animorum
alienationem, & odia.

6. Laboris fuga, otij amor. vellemus ni-
mirum, sed labore terremur. extimulan-
da proinde voluntas erit potentibus ti-
moris Dei, & infelicis æternitatis stimulis.

7. Institutionis, & boni exempli in Su-
periore defectus. doceat; plus tamen re-
bus, quàm verbo, & imitatores habeat.
nam vel solo rubore sequentur præeun-
tem.

8. Insurgentium difficultatum metus.
qui ad infima abiicit, terret à magnis. ex-
pellendus ille, propositis fortibus in vtro-
que sexu in prima iuuentute exemplis,
præmiorumque magnitudine.

9. Pusillanimitas. quæ è diuinæ prote-
ctionis

tionis & auxiliij diffidentia nascitur. hæc
ingentibus Christi sponsonibus, omnium-
que atate testatissimis exemplis depel-
lenda erit. animusque ad æterna & magna
erigendus, ingenti que in Deum fiducia
excitandus.

10. Neglectus minimorum. sunt enim
hæc tanquam flabra ignem prouocantia,
tanquam ligna flammaram & calorum
materies, tanquam pulueres qui densati
prospectum adimunt, tanquam raræ nu-
beculæ, quæ compactæ noctem inducunt,
lumen adimunt.

11. Profusa passim loquendi licentia.
qua ferè hauriuntur que internum æstum
minuunt, profunditurque omnis animi ca-
lor. in cuius locum tepor succedit, & ge-
nerosi antè pectoris languor.

12. Nimia ad externa effusio. restringē-
da hæc erunt, & excitandus solitudinis cæ-
lestiumque amor, vitæ breuitate æternita-
teque proposita. quod si obedientie impe-
rio implicamur externis; frequentibus re-
petitisque per diem piis aspirationibus,
mens indissociabili quasi quodam nexu,
iungenda Deo: temporaliaque negotia,
diuinorum incentiuus farcienda erunt. ne
his destitutus animus, diffluat in pulue-
rem.

Quo-

Quoties denique deuotionis feruor in-
 tepuerit, consultum fuerit illud B. Ber-
 nardi grata memoria repetere: *Non sunt*
condigna passiones huius temporis ad culpam
præteritam qua remittitur, ad gratiam præsen-
tem qua immittitur, ad inferni pœnam qua
euaditur, & ad gloriam futuram qua repromit-
tur.

*Bern. de
 conuers.
 ad cle-
 ricos,
 cap. 30.*

CAPVT VI.

Mortificationis neglectus.

E Quo simul omnia propè mala nasci
 videmus. Neque cum immortificata
 hac affectuum ratione, castitatis, pauper-
 tatis, obedientiæ obseruatio, aut solida
 aliqua virtus consistere, aut in uocatione
 constantia sperari prudenter potest. diu
 fortè in alta permittitur pace, nec bella
 sentit, aut inimicas experitur acies; con-
 tinebit se intra modestiæ, ac quasi virtutis
 limites: at ubi insurrexerit hostis, nec
 minis tamen, sed conferto fortiter pede,
 armis & ferro inassuetum malis pectus ag-
 gressus fuerit; cadent animi, labascent ge-
 nua, & ferè antè succumbet, quàm verbe-
 ra senserit, adeoque ad solas etiam hosti-
 les expallescet minas, & victorem agno-
 scet, cuius non expertus est dexteram.

Ti.

Tironibus hoc euenire solet, quos solus
hostilium armorum fulgor terret, & in fu-
gam vertit. Veteranus, cui cum pugna &
lucta, dandisq̄ue accipiendisq̄ue vulneri-
bus quædam quasi amicitia intercessit,
quiq̄ue non vno pugno disculptum pe-
ctus habet; animos à sanguine induet, as-
suetus post vulnera victoriarum.

Perpetuam deinde mentis inquietudi-
nem sequi necessum est, internæq̄ue pacis
turbationem. neque enim quies sperari
potest, vbi perpetua turbarum causa est:
cumq̄ue vniuersa spiritalis vita, fructusq̄ue
à benè mortificatis affectibus pendeat,
tanquam à benè subacta & proscissa ter-
ra, semineq̄ue mortuo simillimo sperati a-
grarij fructus; sit vt mortuo similior dici
possit, in quo crudi adhuc dominantur af-
fectus, à quorum fœcunda malignitate
nihil nisi agro Dominico nocitura pro-
ueniant: neque enim è scrupulo hoc agro,
loliis ac zizaniis obsito, magna expectari
possunt. nam vt non improba terra sit, ru-
deribus tamen, ac miricis innascentibus,
quidquid est seminis boni suffocatur, ac
quasi inimico pede proteritur, vt magno
licet se conatu in herbam nonnunquam
erigat, spem tamen raritate sua fallat, nec
ad maturitatem deueniat; cum ferè in me-
dio

dio sperati fructus noxiorū pondere corruat, aut exarescat.

Sequitur deinde domestica vniuersim turbatio, dum ab huiusmodi malè mortificatorum affectuum inquietudine, domestica pax turbatur, commouentur animi, & ab vnius sepe malè subacta mente multorum sequuntur commotiones, & quaedam quasi tempestates; dum his tanquam flabris, iuniorum inprimis, minusque solidorum animi grauius commouentur, excitanturque in paria exemplo, ac in imitationem prouocantur; dum ferè ad pessimorum imitationem natura feramur, nihilque pronius sit, quàm præeunte aliquo tanquam duce, reliquos sequi, à quibus vniuersa domestica pax scinditur, ac quasi imis sedibus concusso mari, tranquillitas in tempestatem vertitur; cùm neque iam quisquam alteri cedere, nemo insurgentium quorundam impetus declinare, nemo durioribus interdū irruentibus, molliora, ac veluti saxis puluillos obiicere, nemo procurrentibus locum, spatiumque cursui concedat. quod vbi fit, & aspera duraque paribus incurunt & illiduntur, quid nisi fragmenta & ignes expectes? Unde postmodum animorum alienationes, acerbioresque indignationes nascuntur,

per-

perpetuisque propè hisce mentium æstibus vniuersa familia iactatur, periculisque plena sunt omnia; dum singuli immortificatis impacatisque motibus præcipitio, quàm certè stationi viciniore sunt. neque fieri potest, vt à malè subactis animis, non ingentes insurgant fluctus, qui pacata etiam aliorum littora conturbent ac quatiant; vt totum iam domesticum elementum in non consuetos exurgat motus naufragiis proximos.

Sed neque quidquam magni ab his expectari potest, cum in perpetuo non vano metu Superior sit, ne in pertractandarum rerum decursu, si quid non placiturum occurrat, aut minùs iudicio illorum conforme, erumpant è cruda hac affectuum compositione, in vniuerso corpore pœnitenda / neque committi illis quidquam potest, à quo Religioni decus sperari, aut damna timeri possint: semper enim iustus ille metus, Superiorum insidet animis, ne qua parte elabantur, ne qua in erubescenda erumpant.

Quòd si iusto hoc Superiores metu ducti, non credant honoratiora, periculum est ne in graues & nocituras indignationes insurgant, & dum se contemptos arbitratur, in salutis suæ Religioniq̃ue noci-

tura

tura prorumpant; vt ad quamcunque Superior partem flexerit, non effugiat pericula. Quare nescio an aliquid grauius uenire possit, cùm neque si fidat, neque si diffidat Superior, immortificatæ humi- mentis scopulos euitare possit. vt autem inter hæc turbati pectoris, tanquam turbidi maris breuia, tam certò clauum dirigat, vt in neutram partem illidat nauem, ingens omnino industria, longaque experientia, & prudentia necessaria est: ac nec in summa illa quidem semper effugere naufragia poterit.

Remedia.

AB ipso Religionis ingressu peti debent. nam & suauius & tutius peruincuntur mala, ac quasi in semine suo præfocantur in primo illo quiduis ferendi æstu, quàm cùm mora inualuerunt, calorque ille victoriæ sui ipsius elanguit & deferbuit.

Non ab omnibus simul inchoanda res est, vnique rei primò admouenda manus, & à facilioribus, minusque radicatis initianda sunt, vt assuescat paulatim animus vincere, audeatque etiam maiora tentare.

Pro-

Proderit in primis adhæc particularis
examinis seria institutio, frequensq; com-
modorum incommodorumque ex hoc
neglectu nasci solitorum in vtramque par-
tem, exemplorumque tam veterum, quam
recentium commemoratio.

Prudenter Leo monet: *Toties peccatis* In ser-
morimur, quoties in nobis peccata moriuntur. mon. de
et pretiosa in conspectu Domini etiam ista mors natali
Sanctorum est, ubi homo occiditur mundo, non 7. Ma-
terminatione sensuum, sed sine vitiorum. & chab.

Augustinus: *Moriatur homo, ne moriatur; mu-* Epist.
tetur ne damnetur. optanda mors, qua vna 114. ad
viuimus, qua spoliati morimur. prudens Sophiã,

delectus, mori vt viuas: non viuere, ne
moriaris. bene viuit qui moritur. felix mors
qua vna viuimus: infortunata vita qua mo-
rimur. Habemus in hanc rem illud Domi-
ni: *Si quis venit ad me, et non odit patrem* Luc. 14.

suam, et matrem, et uxorem, et filios, et fra-
tres, et sorores, adhuc autem et animam suam,
non potest meus esse discipulus. & apud Ioan-
nem: *Qui amat animam suam, perdet eam:* & Ioan. 12

qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam
aternam custodit eam. Eleganter in hæc verba

Augustinus: *Magna et mira sententia, quem-* Trac. 51
admodum sit hominis in animam suam amor vt in Ioan.

pereat, odium ne pereat. Si male amaueris, tunc
odisti: si bene oderis, tunc amasti. felices qui ode-

T runt

- runt custodiendo, ne perdant amando. & Chrysostomus: *Aenigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, imò verò præcipua sapientia plenum. Et quomodo qui amat animam suam, perdet eam? qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget, quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam: hoc est qui non patet ei cum noxia iubet. Facit hoc Religiosus omnis, qui se salutemque suam amat. mortis huius non tantum oblatas fortiter amplectitur causas, sed ultro quærit, tanto futurus Deo gratior, quanto pluribus mortibus nobilitatus. fecunda mors, qua centupla fecundatione in vitam exurgimus æternam. eo magis quòd interminantem habemus Dominum: Nisi granum frumenticidens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. & Apostolum: Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. & de se propheta*
- Psal. 43.** Regius: Propter te mortificamur tota die, estimati sumus sicut oves occisionis. monetque
- Colos. 3.** Apostolus: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.

CAPVT VII.

Regularum etiam minimarum neglectus.

DE quo illud dici potest, *Qui spernit* ^{Eccli. 19}
modica, paulatim decidet. & ferè à mi-
 nimorum neglectu & transgressione itur
 ad maiora; vt hæc minima, gradus quasi
 quidam sint ad ingentia præcipitia. neque
 facilè quisquã primo quasi saltu ad deter-
 rima descendit. à paruis ferè initiis ad sum-
 ma exurgimus, & maxima quæque mala à
 tenuissimis profluxere principiis; quæ neg-
 lecta, nulla postmodum arte reparanda
 damna attulerunt. Nec mirum à tam le-
 uibus subnafei maxima: serpunt enim ma-
 la, & dormientibus nobis, ignauoque quo-
 dam somno illis, succrescunt tenerimi
 frutices in arbores ingentes, quæ superbo
 postmodum vertice de robore suo glori-
 antur, despectantque infra se posita.

Nec inter parua hæc numeranda, à qui-
 bus ad maxima decurritur, ad immania
 vocationum præcipitia, ad carnem & san-
 guinem, & omni ordini erubescenda. ita
 tenuis nubecula, solis prospectum adimit:
 & parua paruis innexa animum densa ca-
 ligrine cingunt, prospectumque vt melio-
 rum,

rum, ita & periculorum adimunt. Sanè à
 scintilla neglecta ad humilem arenam no-
 bilissima prostrata iacent ciuitates, è leu-
 vulnere & morbo, frequentes magnorum
 mortes. & non gutta cauat lapidem? tam
 mollis elementi pars minima saxa & ru-
 pes. & stillicidia rara tectorum, ferrum &
 chalybem, & durissima quæque marmora,
 ferro non rarò imperuia, exedunt.

Iam quàm magna è minimis prostrata
 iacent? à tincis & blattis emedullantur
 robora. & minimum animal, fluctuum ra-
 biem, ventorum sauitiam, & nauium ludæ
 magnitudinem. à cuniculis & formicis re-
 bes euerfas legimus. crocodilum ichneu-
 mon interimit, basiliscum mustela, bufo-
 nem araneus, & ab imbelli populo & ludi-
 bus armato ingentia armata agmina in-
 ternecone deleta sunt. Eua in vno serpen-
 tis alloquio perit, Adam in Eua? inde in
 omnem posteritatem vnus pomi impro-
 bitas transit: & pereunt tot millia quæ to-
 tius paradisi nec cespitem nouerāt. in vno
 mulieris aspectu cadit Dauid, leones &
 visos & Goliadas assuetus sternere; in Da-
 lila Philistarū terror victorque Samson,
 in variis Salomon. pietas, fortitudo, pru-
 dentia, qualia nulla etate, in femina iacēt.
 & non nobilissimi ductoris felicitatem

vna Iudith stitit? & quantula res mulier-
 cula aspectus vnus, familiarior fermoci-
 natio vna, curiosior non casti pensilli in-
 tuitus vnus, impurior calamus, lasciuior
 cantus, mollia verba? & tamen in omnem
 ex his etatem bella retulit non vnus, & in-
 tulit sepulcro vulnera, ab vno curiosiore
 oculorum iactu, vna in omnem vitam poe-
 nitenda lasciuiore lectione, vno leui infe-
 licique contactu. Dictum verè: *Nil tutò in* Cont.
hoste despicitur: quem spreueris, valentior lib. 6.
negligentia facies. Quantæ deinde, ac
 quàm validæ res è minimis exsurgunt? è
 tenui lino ingentia licia, è minimo femi-
 ne ingens arbor exoritur, è zizaniorum
 vna aut altera plantula neglecta totus fil-
 uescit ager. & quid inualidius stramine &
 serico? adnecte, & nullis viribus confrin-
 ges. è minimis arenis ac lapillis quanti sur-
 gunt montes, vastissima palatia, superbif-
 lissimæ moles, celsissimæ turres? quæ iisdem
 quibus steterant artibus euertes. minimorum
 aggestione steterunt, minimorum
 ablatione corruent. & quàm tenuibus ini-
 tiis ad summam erigimur eruditionem? è
 minimis elementis, è mutis inanimatisq;
 vocalis. è paruis etiam opibus ad auri ta-
 lenta, è plebeio fago ad orbis imperia.

Tepefcit in his paulatim Religionis ac

T 3

in-

instituti sui amor, dum ea negligunt quæ
proprij instituti sunt, & per quæ magis et-
iam, quàm à maximis, ab aliis distingui-
mur. Votorum namque obseruationes &
violations, cõmunes omnibus reperies, si
votorum vim roburque spectes. minora
reliqua licet sint, tamen ab his discrimini-
bus & ornamentis, reliquorum discrimi-
na nascuntur. Et ferè qui vocatione defec-
ta, sæculum petierunt, à minimorũ neg-
lectu ac contemptu inceperunt, à quibus
pedetentim ad extrema venerunt. Verus
dictum: Nemo repente factus est pessimus.
nec solet humani generis hostis ad imma-
nia quædam scelera Religiosum primo im-
pulsu propellere: paulatim, ac quasi non
sentientem ducit ad præcipitia; è quibus
fera sæpe peccitudine vetera respectantè
ad malorum profunda deturbat.

Tepe scit perfectionis desiderium. in-
credibile enim est quantum leuiores hæc
profectum ornatumque secum trahant;
vt si quis in veste aureas hinc inde licet mi-
nutas stellulas interspergat, venustiores
longè dabit, vt credas aliam ab illa priore:
ita in Religioso, minimorum obseruatio
magnum decus splendorumque adfert, vt
toto cælo alium horum obseruatorem pu-
tes ab eorum violatore, & tanquam alienæ
militiæ,

militia, ductorumque diuersorum stipendiarios.

Tenebrescit deinde paulatim his quasi nubibus, obtegiturque mentis nostra lumen, & obscurantur animorum radij, quibus ductoribus ad virtutum summa ducebamur, collustrabamurque in perfectionis semita.

Labascit etiam amor Dei, diuinarumque rerum, dum paulatim abducimur à perfectionis studio; tardet laboris, minora errata, leuioreque offensiones nihil facimus. Non sunt amanti signa solis mortem inferentibus terreri, & auocari ab amati offensione: signa sunt in amore languentis ac tepentis. Nam quis hic amor, promiscue non tantum offendere amatum, sed prona voluntate ferri in has offensiones? Sanè nemo negare potest, diminutiones hinc esse amorum, tantoque plures, quanto in pluribus transgredimur, & deflectimus ab iis, quæ illi amica & accepta sunt. Quisquis enim amat, si verè amat, minimam amati vitabit offensionem, & sauiorem morte omnem amati offensam æstimabit: adeoque ferrum antè & secures patietur, ac in medios etiam deuolabit ignes. mites flammæ sunt, dulce ferrum est, si in eum locum deductum se viderit,

vt aut offendendus amatus, aut illa eligenda sint; oculosque suos in amati oculis defert, in illis habitat; illis testibus, iudicibus, premiatoribus res omnes peragit; displicere si quid senserit, mortem ante deliget, omni offensa mitiorem.

Quare quicumque Religiosus vero fertur in Deum amore, eum vocationis suæ auctorem ac ducem, etiam in infimis quæret in quo placeat, fugiet in quo displiceat. ac instituti solius amore, si verè amat, nihil patietur negligentia sua effugere, nihil intepescere: ac quadam illius quasi zolotypia tactus, minima maxima arbitrabitur, & ab illis deflexisse, à magnis aberrasse putabit.

Nec diabolus Religiosum primo aggressu in magnis petit: scit se repellendum à minimis paullatim ad ingentia præcipitia ducit, fera in lapsu poenitentia. suadet Eremitæ pascere gallinas; inde gallum, tertio ancillam quæ nutriat, tandem in illa lapsum. Sed neque quisquam à Religione cecidit, è tam nobili celsoque vertice ad profunda vallium, qui non per minima delapsus sit. nec præcipitia timuit qui in minimis stetit. & vt nemo repente fit optimus, ita nec pessimus. gradatim & per minima ad illa exurgitur, ad hæc descenditur.

ditur. ita rapidissimi torrentes, vastaque
flumina; à lentis minimisque fontibus, in-
gentia maria à non magnis fluminibus e-
nascuntur. vt verum sit illud Gregorij:
Hoc agit sentina latenter excrescens, quod patē-
ter procella sauiens. & minuta sunt que erum-
punt in membris per scabiem vulnera, sed cūm
multitudo illorum innumerabiliter occupat, sic
vitam corporis, sicut vnum graue inflicum pe-
ctori vulnus necat.

*In Pasca
par. 3.*

Remedia.

CVM natura sua facillima curatio mi-
norum sit, neglectus tamen diffi-
cillimam illam facit. sit enim vt, cūm mi-
nimis indormiamus, ac extra metum in
illis versetur, à neglectu tanta incremen-
ta sumant, vt antè perimant quàm metum
incutiant. & licet non rarò, à tepore spiri-
tusque quodam languore neglectus hic
proficiscatur; à superbia tamen frequen-
ter originem trahit. quasi indignum sit vi-
rum doctrina ac prudentia clarum, tali-
bus alligari. quæ res cūm ad praesumptio-
nis præcipitia ducat, ingentium causa ma-
lorum est. Sanè non sunt parua quæ ad in-
teritum ducunt, quæ diuinum amorem,
vocationisque minuunt, quæque à perfe-

T 5

ctio-

ctationis studio deducunt, quæ ad ingenia non longa manu præcipitia ducunt, & ad nullis postea votis lacrymisque emendanda mala præcipitant.

Cogitet neglectum hunc minimorum paullatim ire ad plures, abireque in posteritatem. principis proinde obsistendum monent prudentes, nec contenti summa cacumina resecasse; ad radices manus securesque admouendæ sunt, nisi enim ad viuum rescindantur, ac in semine suo euellantur; cum scenore repullulascant mala, & agrum alioqui fecundum, tanquam iniecta manu occupabunt. Nemo igitur prudens malorum iniitiis ignoscet, securara verebitur, & ventura mala in radice conscindet. turò hoc fit, nec magno molimine, cum tenero adhuc frutice leui manu spurium germen euellitur, in quo, vbi adoleuerit, expugnando ignibus & securi opus est.

Cogitet deinde de omni verbo otioso reddendam rationem. grauis omnino res cum minimorū transgressio reuocanda ad iudicium Dei est, iam vt damnatio in violatoribus, ita præmiatio in obseruatoribus consideranda. præmiatur enim Deus, non quanta, sed ex quanto res proueniant in-
Mat. 25 tuetur. Hinc illud: *Euge serue bone & fidelis,*

quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te
constituam. & illud Lucæ: *Quia in modico fu-* Luc. 19.
isti fidelis, eris potestatem habens super decem
civitates. Magna paruorum merces; vt in-
gens in transgressore paruorū pœna. cū
qui talentum domini suffoderat pœnarū
metu, audit: *Inutilem seruum eijcite in tene-* Mat. 25.
bras exteriores: illic erit fletus & stridor den-
tium.

Seria hīc adhibeantur minimorum exa-
mina, vt capiamus *vulpes paruulas quæ de-* Cant. 2.
moliuntur vineas. in magnis enim vix opus
monitore. à subdolis & ex insidiis irruen-
tibus cauendum. & sanè non facilè labe-
tur in magnis, qui parua studiosè vitat.
quid? quòd qui parua vitat cauetque ne in
his offendat Deum, ne Ordinum statuta
transgrediatur, ingentem & Dei vocatio-
nis amorem ostendat. Et sanè nemo filius
in oculis piæ matris patrisque, nemo ser-
uus in oculis domini & regis, nemo reus
in oculis iudicis, etiam in paruis delinquit:
nos in oculis magni Patris, Domini, Regis,
Iudicis, Dei, quid facere deceat?

Seriæ etiam Superiorum monitiones, &
pœnitentiæ; ita tamen vt ne nimium fre-
quententur, ne quasi in consuetudinem
vertantur, ac tandem in contemptum: ra-
tiora proinde in hoc genere placent ma-
gis,

gis, sed quæ pondere suo premant. secreta
 seriatimque adhibeatur monitio: periculo-
 rum malorumque impendentium metu,
 exemplisque aliorum, qui ab his principibus
 ad extrema deuenierunt, terreantur: de-
 decore etiam proposito, cum indignum
 fit illum qui sæculo opibusque contemp-
 ptis, calcata carne, dignitates spreuit, ab
 his minimis vinci, dextramque, ac victo-
 riæ signum tam leuibus præbere: quæ cum
 in virum, vereque Religiosum inciderint,
 non magis illum lædere, quam illis tectis
 grandis consuevit. & ferè qui in paruis se
 virum ostendit, is non tam animum quam
 maiorum sibi materiam ostendit de suis
 maioribus etiam animis ad hæc procur-
 furus; vt à quibus scenam mercedemque
 sperabit ampliorem.

Vt amur iisdem artibus quibus ad lapsum
 diabolus. è minimis ad maxima ducit, ad
 immania scelera; è minimis nos etiam ab-
 ducamur ab illis, ducamur ad virtutem.
 certè minimorum cura & studium ab im-
 minenti non rarò nos exitio tueri solet.
 ita summa libidinum proritamenta, mini-
 marum regularum cogitationibus propul-
 luntur. nec alia re certiùs tutiusque; aut ten-
 ratio fugatur, aut inflammatio tanquam
 iniecto flumine extinguitur, aut commo-
 tio

tio quantumuis valida sedatur, quàm variarum minimarum rerum ab illis remotarum seria cogitatione; vt obiectorum fortuitò capillorum, asserum, tignorum, fenestrarum, similibumque rerum leui ac transcurforia enumeratione.

CAPVT VIII.

Silentij transgressio.

QVANTA è loquacitate, liberaque quiduis quouis loco effutiendi licetia, mala vereri debeamus, nemo ignorare potest; cum paulatim ex hac silentij transgressione, à vanis ad nocitura decurramus; minusque iam circumspecti negligentioresque verborum nostrorum obseruatores, facile etiam apud externos in penitenda labamur. Neque enim modum adhibere currenti, ac per precipitia prolabenti facile est: nescit enim finem sui, qui labitur, donec per infelices circumuolutiones deponitur potius, quàm conquiescat. Idem in hoc linguarum prokursu reperies. faciliùs vniuersim sistitur, quàm vt in medio prolapsu reprimatur. assuesce silentio, etiam cum voluptate taciturnitatem coles: assuesce fabulis, cum mæro-

re linguam continebis. tantum in vtraque partem assuetudo valet.

Ac vbi paulatim inter domesticos creuerit hoc malum, nihil tam sanctum est quod in sociorum sinum non diffundatur: nascitur quiduis effutiendi libertas, secretum res postulet, an secus; damna ex euagatione secutura sint, an bona, iuxta habetur: dixisse enim, terminus est, vt qui voluntur corporum, iacuisse.

Assuetus deinde animus quiduis profundendi libertate, nihil, nec externis quidem clam facit; amici illi, an inimici sint, pro eodem habet: neque enim personam intuetur, sed effutiendi quod creditum illi erat, libidinem. Scite sapiens

Prou. 25 Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere secretum suum: quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis: & cum se per verba extra semetipsam eijcit, apertam se aduersario ostendit. quam tanto ille sine labore superat, quanto & ipsa que vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.

Greg. Past. p. 3 cap. 15.

Itur deinde ad mulierculas, & huic tam prodigo omnis secreti lexui domestica committuntur, ac cogitata etiam prope scelera; plusque illis iam creditur quam Superiori, quam Parenti: quibus tacuisse

crimen

crimen est; maximè dum inter socias mutuo prouocamento quidquid reconditum erat, produnt in amicitia quoddam pignus, nouique fœderis testationem.

Sequitur deinde ex hac prona locutione noxia in omnium mores vitamque curiositas, cum mens confabulationibus affueta, destituta propriis, aliena quæ narret querit. si obuia desint, intima scrutatur, & nunc per ambages, nunc dolis & astu, nunc aperto cælo profunda rimatur: nec quidquam tam abditum, quod horum oculos auresque fugiat: & dum gloriam quandam à nouarum rerum narrationibus venantur, nihil ne in amicissimo quidem intactum relinquunt: & cum vera desint, ad vanum suspicionum suarum campum decurrunt, & in alieno agro, etiam hyeme media, quod dolosa metant falce reperiunt; mendaciis, cum veris destituantur, diuites. inde plenis iam plaustris, aliorum fama prostituitur, & ille ingeniosissimus habetur, qui de suo quàm plurima in alieno reperit, & mendacio, tanquàm peregrina veste eiusdem contubernij socios induit; fitque dicendi quodam vsu ac consuetudine, vt falsa pro veris habeant; non dicta, non facta vsquam pro indubitatis testatisque narrent, nec mendacium
fen.

sentiant mendacij auctores. abiit nimirum in naturam, & laudem etiam sperant in ingeniosa criminatione. ita in aliena fama & sanguine natant hæc linguæ, postquam silentij semel frenis laxatis, vicinæ proterunt pascua, proculcant nemora improba linguarum falce, flore sæpè medio, spem annorum multorum demerunt ter impij, in Deum, in socios, in Religionem ac in salutem etiam proximorum, quam barbara hac libertate euertunt, dum eodem nomenque eis adimunt, à quorum æstimationis integritate plurimorum salus pendeat.

Variarum etiam in oratione distractionum occasio sequitur; cum mens tam variis onerata, ægrè se ad orationis quietem componere potest. occurrunt audita, narrataque; & quidquid imbibit curiosa in alienos mores inuestigatione, non supremis tantum natat labris, sed suprema cordis occupauit: vt dum mens orationem meditat, importuna hæc suggestionem alio eam vocent, & ad se trahant. nec potest facile animus tot dictorum auditorumque; lusus speciebus, ad meliora se conuertere, aut supra hæc sese erigere, tanta illorum mole oppressus. Contingitque non raro, vt nullo facundius tempore narra-

da nascantur. fertilis nimirum in talibus area est orationum tempus: hinc suggeruntur, quæ alibi ignorantur: hinc inveniuntur abdita, & sociorum effodiuntur thesauri, imis sæpe defossi pectoribus, densissimisque tecti ac damnati tenebris. tantum potest inimicus homo, & consuetudine improbitas firmata.

Denique Religiosus, à quo merito perpetuam cum Deo coniunctionem exigas, totus ab illa auertitur, & in vana, ac non profutura, noxiaque etiam profunditur. Nescit mens inhærere Deo, sui Deique per fabulas prodiga. ignorat cum Deo coniunctionem, quæ solitudinis amica non est, cum illa in omnia se profundat temerario ausu: neque potest coniungi Deo, quæ tanta vanarum narrationum congerie disiungitur, neque tanta vanarum rerum varietate cinctâ, erigere caput potest; aut cælestibus inhærere, quam narratarum auditarumque rerum maria oppreserunt, absorbuerunt fluctus. Non fert æmulum Deus; aut amari solus vult, aut amari non vult. quantumque coniungeris aliis, tantum ab illo disiungeris. vis illi coniungi, pelle quidquid te disiungit, quidquid alteri iungit. Inter potentissima, quæ te coniungunt alteri, loquendi quædam

V pro-

prodigalitas est, & narrandarum rerum curiosa inuestigatio: amat enim hæc, quicunque studiosius his incumbit; quantumque hæc amat, tantum ab amore illius decedit; quantum accedit Deo, tantum ab illis recedit: nec alias, quàm diuinae narrationes nouit, quisque Deum amat.

Quemcunque ergo videris propensum in aliarum rerum narrationes, cogita res illas amare, Deum non amare: nam si amaret, plenus diuinis esset narrationibus profunditur enim quisque in ea quæ amat, vt animo, sic ore: non profundi, non amare est. & ea amantur, in quæ quis profunditur. Nescit amor mentiri, vt nec tegi. prodit se ignis, & amorẽ suum loquitur.

Sed neque magni quidquam sperari ab eo potest qui pronus in hoc vitium est, nec quidquam Religioso dignum. vt merito dicat Apostolus: *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Comittatur enim hoc vitium detractio, secretorum violatio, muliebris inconstantia, sæculi mores, imprudentia magna. vt merito

Iac. 1.

Eccli. 5.

Prou.

29.

tò Sapiens: In multis sermonibus inuenietur stultitia. & alibi: Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quam illius correptio. sed neq; diu immunis à peccato

eato talis esse potest: *In multiloquio enim* ^{Prou. 11}
non deest peccatum, qui autem moderabitur la-
bra, prudentissimus est. argentum electum lin-
gua iusti, cor autem impiorum pro nihilo. Et, Qui ^{Eccli.}
multis utitur verbis, ledet animam suam. hinc ^{10.}
illa monita: Indisciplinatae loquela non assue- ^{Eccli. 3.}
scat os tuum, est enim in illa verbum peccati. &
alibi: Omni custodia serua cor tuum, quia ex ^{Prou. 4.}
ipso vita procedit: remoue à te os prauum, & de-
trahentia labia sint procul à te. atque hinc il-
lae etiam preces: Pone Domine custodiam ori ^{Psalm.}
meo, & ostium circumstantia labiis meis. & al- ^{140.}
terius: Quis dabit ori meo custodiam, & super ^{Eccli.}
labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ^{22.}
ipsis, & lingua mea perdat me? magni Regis
magnum votum, vt meritò inclamet: Bea- ^{Eccli.}
tus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, & ^{14.}
non est stimulatus in tristitia delicti. qui enim
custodit os suum, & linguam suam, custodit ab ^{Prou. 21}
angustiis animam suam. neque hoc mirum
videri debet, cum mors & vita in manu lin- ^{Prou. 18}
gue sint; inquietum omnino malum, plena ve- ^{Iac. 3.}
neno mortifero. & verbis paucissimis omnia
complexus mala est: Lingua ignis est, uni-
uersitas iniquitatis.

Remedia.

POenitentia transgressoribus imponatur. In inueterata verò libertate loquendi qui longiùs progressi sunt, remoueantur, etiam à communi recreatione; vt vel hac pœna discant moderari linguam.

Cura in Superioribus, vt recreationes religiosè transigantur.

Aliquorum, etiam primorum, maximeque spiritualium excitatio, qui reliquos in religiosa recreatione præeant, ducesque sint ad linguarum moderationem, moneantque etiam, maximè exemplo, si quis ad alia deflexerit, minusque religiosa miscuerit, præscindendo omnem eiusmodi narrationem, aliamque magis instituto consentaneam substituendo.

Seria in conscientiaë examinibus inuestigatio causæ erroris huius, periculaque ac incommoda recensendo, præcauendo, cum firmo seriae emendationis proposito, cum profunda, & non perfunctoria diu-

Mat. 12 norum verborum discussione: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Addantur in omni hominum genere, damna ex hoc vi-

tio.

tio nata: quorum frequenti commemora-
 tione reprimat effusam hanc libertatem,
 quam sola sæpe pœnitentia sequitur; cùm
 emendari tam calidè effusa, ac in extremis
 labris, non in corde fabricata, non possint.
 neque enim retrahi dicta possunt, aut in-
 dicta dicta semel haberi. & manet non ra-
 tō offensio æterna, ex improvida pauco-
 rum verborum effusione nata. Accedit fe-
 rè in hac quiduis effutiendi libertate,
 quidquid in meditationibus orationibus-
 que magno studio collectum erat spiritus
 boni, effundi ac evanescere. vt meritō vir
 Religiosus omnem expellendo hoc vitio
 conatū adhibere debeat, certus magnam
 silentio prudentiæ opinionem colligi, ma-
 gnam in humanisq; diuinisq; prouiden-
 tiam, raros in pœnitenda lapsus, rarissimas
 aliorum offensiones, magnam modestiæ
 famam, magnam cum Deo coniunctio-
 nem, altam internam pacem, omniumque
 virtutum vberem foecundamque per o-
 mnia messem.

CAPVT IX.

Aberratio ab instituto in rebus pijs.

GRAVIS error, eoq̄ue maior, quo sub pietatis prætextu fallit insequentem ducitq̄ue Religiosum sub boni specie ad instituti sui alienissima: neque enim quia in se bona, ideo omnibus amplectenda sunt. quanta medicamenta multis fuerunt noxia? Et quis potest grauior error in humanis esse, quàm omnes ad eadem cogere, iisdem fouere & pascere, iisdem mederi velle, eadem munia & onera, remedia eadem præscribere? Nullum prope vitæ genus est, in quo non reperies aliqua laudanda; non tamen ideo imitanda omnibus. Nullum Religiosum institutum, in quo non plurima videas admiratione decusq̄ue merentia: non tamen omnia ad omne institutum traducenda. Nam cum discrimina necesse sit esse Religionum variarum; confundit ille decorem, quem in hac varietate grata memoria decurrimus, quicumque omnia ad omnes transferre conatur. Suos cuique limites præscripsit dictauitq̄ue Spiritus sanctus, suis iussit moribus contineri. non transgrediamur hæc

calo

cælo data in primis Religionis parentibus
monita, ne plus aliquid, & supra cæli pru-
dentiam sapere videamur. Hinc illa Sa-
pientis monita: *Ne transgrediaris terminos* Prou.
antiquos, quos posuerunt patres tui. 22.

Nobile institutum est SS. Augustini,
Benedicti, Bernardi, Norberti, Domini-
ci, Francisci; sed sua cuique stat gloria, or-
namenta sua: quæ si quis in agrum suum
transferat, erret. neque enim eadem fert
omnia tellus. alia atque alia pro regionum
terrarumque conditione, spera. omnia si
omni loco cogites, falleris: vt iam è loco-
rum varietate rerum discrimina enascan-
tur; illa calido, illa tepenti, frigido etiam
non pauca, humido plurima; sunt quæ sic-
co gaudent solo. Eadem propè reperies in
variorum Ordinum situ vario, Spiritu san-
cto seminatore, rigatore, fotore & altore.

Quare vt grauissimus sæpè error esset,
ex aliena republica in suam leges velle
transferre, cùm alias atque alias diuersi
hominum mores, ingenia, loci conditio,
aliaque id genus postulent; ita grauior et-
iam error foret, ex aliena Religiosa familia
decerpere ea velle, quæ in tuam transfe-
ras: cùm ferè ita inter se connexa sint o-
mnia, vt qui vnum loco mouerit, plurima
mouere cogatur, magnamque illius par-
tem

tem veteri decore suo spoliare. Quòd si noua aliunde euocata ac mutuata in se ruerit, in vno cōsistere non poterit; sed ad magnam receptorum antè, longaque annorum experientia probatarum rerum mutationem compelletur. quo fit, vt aliam respublica videri meritò possit, priore forma mutuatio hoc colore deuenturata: imò monstrum è differentibus coagmentatum; vt si quis è variarum gentium vestibus moribusque vestem vnã, rempublicam vnã statuatur; si quis è variis animalibus animal vnũ, equino capite, bubulo pectore, ceruinis pedibus, elephantis proboscide.

Et persuadere sibi quisque debet, quidquid à primigenio spiritu degenerat, ruinam proximum esse. transit enim quasi in aliam familiam, ad aliena castra, ad alienas aquilas, alteriusque ducis imperia, quisquis moribus alios profitetur, alienis que induitur armis; vt non immeritò militem credas, alieno sacramento obstrictum. Sane aurigæ fortiter orbitæ insistent. nam vt vicinior planicies sit ac planior, fors tamen ea ducet ad faxa, ad dubios exitus, ad inuia. prudentissimus tutissimis notisque inhæret; temerarius incerta amplectitur, & per ignota decurrit. sapiens trita incedit
semi-

semita; per inuia viam sibi sternit impru-
dens.

Nec minor illorum error est, qui non
ex alieno agro, sed è cerebro suo nouè in-
uenta, quia pia, quia ad salutem aliorum,
traducunt ad vitæ genus suum, degene-
rantes à maiorum placitis, & non pauca
attexentes nobili Religionis suæ vertici,
quæ nulla retro nouit ætas. Non sunt hæc
viri prudentis, & instituti sui amantis: sunt
proprio iudicio fidentis, & de suo cerebro
nouum institutum fabricantis. tales enim
cùm paulatim suos à maiorum moribus
abducant, adducantque ad suos, ad aliud
vitæ genus suum, non maiorum transfe-
runt; vt ignari propè rerum, aliam omni-
no à maioribus faciem paulatim introdu-
ctam ingemiscamus: quam eò difficilius
eluumus, quò quæ sub pietatis prætectu
immissa sunt, altiùs resederunt.

Et sanè tales aut ignorantia rerum sua-
rum labi necesse est, aut ambitioso nomi-
nis sui fastigio, aut quadam propriij iudicij
pertinacia, aut denique imprudenti spiri-
tualis profectus zelo. quidquid dixerimus,
non leuis culpa est. Nam siue tam ignarus
rerum sit, vt quæ stabiliendæ Religioni
necessaria sunt, ignoret; siue veteris per-
tæsus nominis, ad nouum nouo fastu co-

gitationes flectat; siue nimia sui fiducia longiùs quàm par est in nouarum rerum delectu prouehatur; siue fatuo denique zelo feratur in aliena, domestica fastidiosa, ubique culpa est, nec excusationi locus.

Dæmonū ferè fraudibus obnoxij sunt, qui suo fidentes iudicio, noua sibi placita commentantur, facti sibi ipsis legiflatore ac magistri. quibus ferè contingit quod agroto, peritissimorū medicorum manum negligenti, deque suo cerebro medicamenta sibi in interitum commentantur: quodque secundo prosperoque vento nauiganti, sed aliò vela vertenti, factus sibi ventus & infelix exitus. Et sanè periculū plenissima res, à maiorū placitis tot lacrymis rigatis, tot sanctissimorum virorum moribus comprobatis, recedere; aut de suo illis post tot magnorum testata exempla, addere aliquid aut demere. magna sanè in hac re circumspectio opus est. Solet enim diabolus illos imitari qui lapidissimis quibusque rebus venena miscens, quo faciliùs incautos in errorem & interitum trahant: vt sub bonarum rerum prætextu, ac perfectionis studio, in immania præcipitia trahat. neque enim quæ apertam malignitatē improbitatemque continet

tinēt timentibus Dominum propinabit; scit enim se repellendum. nec quisquam palam porrecta venenaprudens haurit, sed electissimis intersparsa inscius transmittit: vt dum auidus in cibum fertur, mortem celerius accersat.

Remedia.

Occurrendum proinde est huic malo ingenti conatu, & ad viuum refecandæ malorum radices, ne pullulent in interitum sementis bonæ. Cautè etiam prudenterque inuigilandum huic malo, ne grandi paulatim auctu occupet & depascat intima; eoque maiori prouidentia opus est, quo sub prætextu ac specie boni trahimur in nocitura, & interitum depropinquo sub amica specie iaculantia.

Accedat frequens lectio eorum quæ instituti propria sunt. plurima enim ab instituti ignorance nascuntur ab eo aliena.

Amoris instituti sui prouocatio. neque facile ab eo aberrabit, qui illius affectum altè in animum immisit: hinc ille, antè propositis ignibus, in illos insiliet; quàm ab instituto deflectat.

Nihil nouè instituere, sine seria & repetita in arduis deliberatione, ac ne in tenuiori-

oribus quidem, quidquam è voluntate su-
aliis inconsultis statuere: nec minùs se
specta habere diuersa à maiorum & insti-
tuti moribus, quàm vestem Ordinis & in-
stituti alieni.

Suspectissima omnia habere, quæ alio-
sum ab instituto deflectunt, aut à maiori
semita recedunt: etiam in optimis, quæ
que magni speciem præ se boni ferunt, à
peregrina sunt, neque domi nostræ natæ,
nec Religioni consueta, timidè ac lente
procedere, ac non nisi matura grauique
non vna præuia deliberatione, idque cum
iis qui & intelligentes, & instituti amantes
sunt: sæpe apud animum suum voluendo,
quò hæc tendant, quò ducant euntem;
quid sperari ex his, quid timeri possit; à
quo spiritu nata: subita, & tanquam à mu-
sto è torculari adhuc spumantia, aut ab
igne calentia sint; an verò à matura seria-
que meditatione, maiorumque placitis
promanantia.

Iuuabit in primis nihil, quod nouitatem
quoquomodo redolet, aggredi inconsul-
to Præfecto spiritus, multa que ad Deum
prece, & sacrificiis præmissis.

Frequens etiam consideratio finis ad
quem vocati sumus: à quo aberrasse, ab o-
mnibus aberrasse est. qui verò à mediis ad
illum

illum ducentibus aberravit, à fine decessisse arbitrandus est. facit hoc quisquis à præscriptis in Religione mediis recedit.

CAPVT X.

Auersio aut uniuersim ab instituto, aut aliquibus instituti propriis.

QVÆ res extremæ ruinae proxima, & periculi plenissima est, & ferè à superbia nata; cùm quis iudicium suum auctoris instituti, totque magnorum in Religione virorum, decretisq; Pontificiis præferat: aut certè à desiderii commodorum corporis proficiscitur.

Hinc videmus eos qui aut carne, aut nominis sui gloria pulsantur, cùm desperauerint ea in Religione consequi, paulatim ad instituti derogationem descendere; vthoc quasi pallio vitia sua tegant. Sane vbi inceperit animus se his irretire, singulaque institutionis suæ, humano sensu suo, non maiorum placitis, non tantorum annorum confirmationibus, non maximorum Deoque gratissimorum virorum comprobationibus discutere; non multum ab extremo periculo abesse potest.

Desi.

Desipit deinde huic, non prima fronte
tota vniuersim instituti ratio, sed vna alte-
raue constitutio, regula, Superioris ordi-
natio; inde serpit hoc malum ad plura, et
deinde corporis totius iugulum petit.

Nascitur deinde in hoc ab omnibus im-
peratis animi quaedam alienatio, & tan-
quam febridetentis, occupato semel pu-
lato ab humore febrili acido, dulcissima
amarissima videntur: ita hominis illius ob-
fessa semel mente ab instituti auersione,
acescunt omnia. & quæ antè mollia & sua-
uia, rationique ac diuinis consiliis ac pla-
citis consona videbantur; ea nunc dura &
aspera, & à diuinæ voluntatis decretis re-
motissima censentur.

Plena deinde hæc res periculi est, cum
ferè eiusmodi quærant aliquem ingenij
sui, cui paulatim instillent hæc venena,
serpitque hæc res non magno negotio per
plures, viresque acquirat vniuersæ Religi-
oni noxias. & ferè magis coalescunt inge-
nia hac similitudine tacta, mutuoque le-
firmant & exacuunt, quàm probatissimo-
rum quorumcumque mentes. ita ad op-
pugnationem, quàm ad tuitionem natura
proniores sumus, & pessima quæque, ma-
ximeque noxia impetu feruntur maiore,
miscenturque; tanquam fatua quadam cir-
cum-

cum uolutione, secumque trahunt, quid-
quid solidiore fundamento caret. si quid
radice tenuiore fecundo Religionis solo
insertum, si quid opimæ illius arbori leuius
inculcatum, si quid trunco superficiem
tantum radat, id omne non magno impul-
su corruere necessum est. Quare si quem
hi deprehenderint aut commodis suis stu-
dentem, aut obedientiæ iugum reiectan-
tem, aut potui ciboque potentiùs addi-
ctum, aut carnis illecebris proritatum, aut
in mulierum familiaritatem propensiorẽ,
aut laudis gloriæque suæ sectatorem, aut
magnorum familiaritatibus inhiantem,
aut orationis studium fastidientem; perfa-
cile in sententiam suam pelliciunt, & ab
his initiis ad uniuersum institutum con-
uellendum pertrahunt. Nec difficile est
tales inuenire, qui in aliquod vitiorum
horum proniores sint, repertosque in o-
mnem partem flectere, maximè si acce-
dat accuratior regularumque obseruan-
tior Superior, qui non parcat, nec impu-
nita in illis delicta transeat. hinc enim ani-
morum commotiones, exacerbationes,
querimoniæ, oblocutiones nascuntur. Cõ-
modum proinde turbandæ rei tempus na-
cti priores illi in sæuas propellunt tempe-
states hæc maria, a rentibusque his lignis
flam-

flammas ignesque subiiciunt. & à minimi
sæpe scintillis ardet domus tota: à non po-
tenti flatu, non in iras tantum minasque
sed in furores insurgunt hi fluctus, secun-
dum que non rarò in interitum trahunt do-
mum totam.

Euitabit has flammas, venena, pestes
quisquis Deum, quisquis Religionem ama-
fugietque tanquam insanos scopulos mul-
torum in Religione mortibus nobilitatos

Remedia.

CAusæ inuestigandæ, è qua nimirum
radice germina hæc pullulent: illa
enim semel resecta & euulsa, reliqua nul-
lo impellente corruent.

Fiducia etiam in illis excitanda, ut fi-
denter se Superiori aperiant. Beneuolen-
tiis etiam, ac quibusdam confidentiæ de-
monstrationibus in fiduciam excitandi.
vbi se aperuerint, paternè iuuandi.

Veterum etiam, aliarumque Religio-
num exemplis, rationeque singula confir-
manda, dubia excutienda & dissoluenda:
in quibus omnibus magna necessum est
Superiorem uti patientia; audire luben-
ter, operam suam ultro spondere, nullum
illis aditum ad se negare; rem modò leua-

re, modò periculorum votorumque quibus se obstrinxit, magnitudinem ostendere, prout prudens charitas, & patientis constitutio suaserit.

Spiritualibus deinde exercitiis, piorumque librorum lectionibus talis iuandus.

Proderit etiam per spiritus Præfectum, aut per alium virum cordatum, cui æger plus fidat, medicamenta malo huic propinare, maximè si quando aliquid alienationis ab ipso Superiore intercurrat; quod ferè talibus euenire solet.

Dispiciendum deinde, an per alium Superiorem æger noster, aut loci mutatione iuuari leuarique possit: nec quidquam ommittendum quod ad latentis huius mali venenum vtile futurum sit. Neque enim malo huic indormiendum, cum ferè magno impetu incrementa sumat, vbi primùm hominem occupauerit. Quare nullis hinc laboribus parcendum, frequenter, & in omnem partem versandus æger, nullaque non medicamenta tentanda sunt.

Iuuet etiam piarum occupationum varietas, à quibus minùs abhorret. Familiaritas etiam illorum, qui in virtutibus magna incrementa fecerunt, & à quibus nullum in hoc hominum genere periculum.

X

Auo-

Avocatio etiam conuersationis illorum qui faciles ad hæc mala sunt, minoreſque in inſtituti amore progressus fecerunt. Communes denique preces, ipſiuſque in primis Superioris, cui vt paſtori, hæc cura magis incumbit.

CAPVT XI.

*Emulationes, etiam in rebus piis,
& inſtituti propriis.*

VT euenire frequenter ſolet in lectionibus, concionibus, confeſſionibus, catechizationibus, externorum familiaritatibus, aliisſque generis eiufdem; cum paria, aut plerumque ſuperiora etiam cogitemus, quæ cum ingenio, natureſque dotibus aſſequi non poſſimus, decurrimus ferè ad alienorum dictorum factorumque improbationes, depressiones, criminationes, tanquam ſi his alienæ famæ derogationibus, viam ad gloriam nobis ſternamus.

Neque res alia Religioſum ad alienarum virtutum, nominisſque boni detractionem faciliùs deducit. vt non errauerit, qui exitialem hanc Religionum peſtem dixerit: nam & virtutibus derogat
alio-

aliorum, & propria deuenustat ac enervat: nec quicquam iam illi placet, semperque reperit aliquid quod reprehendat, ac in omni re magna tantum miscet acoris ac toxici, vt vniuersam massam venenet, laudeque sua, meritoque decore defraudet. Ingeniosa nimirum omnis æmulatio est, nec vnquam ei, quod reprehendat, deest: fœcunda damnationis mater, vt si rem non possit eleuare vniuersam, maximam tamen laudum partem detrahat, & ad apertè decurrat falsa, ad manifestas criminationes: & cum vbique talis dictorum factorumque alienorum vituperator ac damnator sit, tum suorum ingens laudator est. Quæ res etiam in rebus magnis fidem ei detrahit. assueti namque auditores narrationum excessibus. nec cum vera quidem narrat, fidem inuenit. Habet hoc nimius laudator sui, vt fide etiam in verissimis careat.

Sed neque diu latere hæc studia possunt, produnt se & vulgatione sui, animorum primùm alienationes, inde etiam odia concitant, contrariaque studia, quacunque via, proba an improba adiuuanda. Ita æmulatio omnis, quæ superbiæ innititur, cum virtutum media & adiuuentia desint, à vitiis auxilia mutuatur, im-

Tract.
32. in
Ioan.

mormutuae caritatis, instituti, & Dei. Acute & verè in hac materia D. Augustinus. *Tolle inuidiam, & tuum est quod habeo: tolle inuidiam, & meum est quod habes. linor separata caritas iungit.*

Nec inter domesticos parietes se malum hoc continet, decurrit ad externos; ita proditor affectus sui, fit æmulator omnis causamque præbet cur & externi descendant in partes ac factiones denique: ingentesque aliorum animis dissensionum suspiciones ingenerat, quæ ad vniuersi corporis subuersiones tendunt. Neque Deo, aut gloriæ illius, sed sibi nominique suo æmulus omnis studet; paulatimque ab instituti & animarum zelo degenerans, ad laudes suas commodaque labitur, ut laborum sudorumque suorum finem seipsum sibi statuatur.

Videt in alio, auditque laudanda? indignatur ringiturque, & aut improbat, aut minuit laudem, semperque aliquid solet inuidia, etiam in laudatissima re quod vituperet inuenit: sapiusque lubentiusque in externorum, quam domesticorum procurrit laudes. etiam in hostium religionis ac hæreticorum scriptis, quod obseruatum non semel, inueniet quod probet; in domesticorum verò quod vituperet; quæ

si domesticis laudibus aliquid detractum eat suis. contingitque non raro, ut quæ externi summa in aliquo & admirantur & prædicant, ea nos ingenti conatu deprimamus, stupentibus illis, & admiratione quadam attonitis, cum in suos exurgere vident viros religiosos, invidiaque odioque grauidum pectus æmula prodant verba: indeque iam profiliunt famæ nominisque dedecorationes; fitque ut quos Religio laudatores sperabat, vituperatores inueniat. Insurgunt nimirum in matrem filij, cum filiorum vituperationes eant in matrem, magno non infrequenter totius Religionis damno; cum iudicia hæc plurimum integra regna peruadant, arbitrenturque quorundam hanc sententiam, vniuersæ Religionis sensum esse.

Bene in re nostra Gregorius Magnus: *Past. p. 3 c. 11.*
Quid istis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? aliorum verò bona que habere non possunt, si diligerent, sua facerent. sic quippe sunt vniuersi consistentes in fide, sicut multa membra vno continentur in corpore; qua per officium quidem diuersa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt, vnum sunt. vnde fit ut pes per oculum videat, & per pedes oculi gradientur, ori auditus aurium seruiat, & ad usum suum auribus oris lingua concurrat,

X 3

suf.

suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione seruemus. nimis igitur inope est non imitari quod sumus. nostra sunt mirum, quae etsi imitari non possumus, amantur in aliis, & amantium fiunt quae amantur in nobis. Hinc ergo pensent inuidi, caritas quae virtutis est, quae alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore. Dicendum itaque est inuidis, quia dum se à liuore minimè custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur. Admonendi sunt inuidi, ut cognoscant quanta lapsibus succrescentis ruina subiaceant, quia dum liuorem à corde non proiciunt, ad aperta operum nequitias deuoluuntur. nisi enim Cain inuidisset fratris acceptam hostiam, minimè peruenisset ad extinguendam vitam. liuor itaque sacrificij fratricidij seminarium fuit. Dicendum inuidis, quia dum se ista intrinsecus peste consumunt, etiam quicquid in se aliud boni habere videntur, interimunt. unde scriptum est, Vita carniū sanitas cordis, putredo ossium inuidia, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam quae humanis oculis fortia videntur. ossa quippe per inuidiam putrescere, est quadam etiam robusta deperire.

Prou.
24.

Rem.

Remedia.

DEVUM in omnibus querere, illumque vnum sibi laboribusque suis proponere: nec aliud in his, quam & illius gloriam, & animarum salutem intueri, quod qui consecutus fuerit, non facile per æmulationum præcipitia labetur, prudens in solido pedem figere, in solius nimirum diuini nominis propagatione.

Proderit etiam meminisse damnorum ex æmulationibus nascētium, cum ferè nunquam illæ sine alterius, aut vtriusque etiam partis interitu, aut sine graui damno finiantur, maximè vbi se illæ prodiderint: tunc enim in apertam itur dissensionem, non desunt auctores alendis his ignibus idonei, donec erumpant in apertas flammæ, in incendia & cineres: nec antè ferè finem faciunt, quàm lata partium tegantur ruina, quæ corpus simul vniuersum in periculorū & damnorum partem trahit.

Iuuabit etiam frequens cogitatio præmiorum à Deo repositorum iis omnibus, qui totis animis illi, cui omnia debemus, non sibi nomini que suo laborant.

Et sanè miserum est à sola populari laude præmia sperare, quæ aut cum vita, & plerumque ante illam, finiantur; qualia

euenire ab amulo hoc liuore consue-
runt. Prudens ille est, qui pulso hoc mon-
stro illi vni sudat, à quo aeterna sperat, o-
mnemque aliam cogitationem aliorum
ducentem contemnit & calcit, tanquam
caelo speratorum praemiorum blattam ac
tineam.

CAPVT XII.

Amor sui.

HINC nasci videmus non leuia mala.
Murmurationes, impatientiam, pa-
rendi difficultatem, cum imperantur quae
minus placent, minusque ex honore suo
esse iudicauerit qui hoc malo tenetur; in-
dignationes etiam & alienationes, graues
que animorum moerores consequi solent
contemptus deinde aliorum, censurae
graues, detractionis studium, quo quid-
quid in aliis magnum, deprimunt, vt sua
extollant; delectus etiam rerum, munium-
que ad honorem spectantium; familiaritas
cum viris magnis principibusque quaesi-
ta; contemptus plebeiorum, operumque
viliium; captatae confessiones primorum
primatumque quarumcunque, neglectus
infimorum: singularitates denique, ac

pra-

prerogatiue in rebus honoratioribus concessiones. Sequitur pœnitentiarum & asperitatum, omnisque mortificationis fuga, iudicii que sui tenax in omnibus sequela, primarum que ubique partium postulatio: ingens denique inquietudo mentis, si quid sentiant detractū gloriæ, si quid non concessum, si frustrata vota, nec expleta in omnibus desideria, quæcunque ea demum fuerint.

Concedit Superior que aut honori tales suo, aut commodis idonea arbitrantur? nullus rogandi finis: neque enim modum sibi amor sui statuit, delabitur que in dies ad noua; vt vnus rei concessio gradus fit ad aliam. accenditur que hoc exemplo reliquis animus ad paria audenda & petenda; vt qui ante nec cogitationes quidem harum ferum admittebant, nunc exemplo moti, tanquam valido vento plenis velis ad similia ferantur; & imitari nunc palam delectet, quod prius vt tentationem taciti auerſabantur.

Quod si neget Superior, & abnuat rogata, exurgunt ad indignationes, decurrunt que ad dolos & subdolas machinationes, ad intercessores etiam externos: & quasi vtrò oblata ab illis, quæ nostris impulsoribus donata sunt, non illubentiùs

quàm audacius accipimus. Ita paulatim & paupertatis, & obedientię ornamenta detrahuntur; & parte maxima pristini roboris spoliantur ac nudantur.

Est & illud in hac re in primis perniciosum, quòd ferè huius generis homines laborem omnem fugiant, sectentur otia: ardua ne attingunt quidem, aut si tangunt, leui decurrunt manu, & superficiem potiùs radunt, quàm in latentia petant. Nihil proinde magni ab his sperari potest, quæ ferè innumeris difficultatibus, tanquam vepribus, ac densis vndique spinis obsessa sunt. nam vt primùm asperiora senserint, manum retrahunt, & ad mollia flectunt, deliguntque in ignava potiùs commoitate sordescere, quàm per ardua viam ad magna sternere: aut si quando ad difficilia dexteram porrigant, non extendunt conatum ad maiora, quàm quò eos honoris ac dignationis propriæ libido impellit: vt nunquam, aut nusquam eos Dei solius, aut Religionis gloria, aut animarum salus, sed proprium decus ad angusta protrudat.

Quæ res cum veræ Religionis affectu diu stare non potest, atque ita præterquam quòd meritum omne corruat, domesticæ mutuęque Religionis amor diu consistere non potest, aut locum, quem debebat, tenere.

nerē. Vnde minor iam uocationis amor auersio etiam, & uniuersim ab illa subdudio & fuga, ac tandem odia nascuntur, & alterius uitæ cogitationes, nausea præsentis, & ingens fastidium.

Atque hinc gratiam uenantur externorum, amicos sibi parantes in extremam hanc fortunam, & plurimum deteriorem sexum sibi conciliant, apud quem domesticas etiam querimonias deponunt: quod sexus ille facilius in commiserationem sit, & laxiores affectui habenas concedat, maxime si paribus excitetur. quæ res à periculo longius abesse non potest; accenditur enim utrimque animus, ac tanquam ignes duo, mutuis se exacuunt flammis, celerius perituri, & in cineres dilabendi.

Et nihil in his de in sanctum aut sacrum est, quod non faciles lubentesq; prodant, nihilque adeò reconditum, etiam cum alterius, ac non rarò cum Superioris ipsius dedecore coniunctum, quod non ultro profundant, & denuntient illis, quæ nihil arcanum norunt, nisi quod ignorant; quibusque adeò etiam ignorata pro certis uulgantur; neque diutius silent, quàm sociæ aut auditricæ destituuntur.

Nec quisquam Superiori uoluntati tallium faciet satis, aut explebit cupiditatem:

tem: semper enim in quocunque Superiore quod desiderent aut damnent, reperiunt, etiam in benevolentissimo viro. omnia enim concedere, impossibile est; pauca verò, imò vnum illis negasse, omnia negasse est: immemoresque beneficiorum præteritorum, ad sola præsentia mentem conuertunt, reliquorum obliui. adeo eos commodorum suorum vota cæcarunt, vt nisi omnia concesseris, omnia negasse videaris: ferunturque in hunc, tanquam in iuratum commodorum suorum hostem.

Sed neque serias vllas monitiones admittunt, non molles ac lenes: ita dum peccare impunè volunt, puniri nolunt: vt nihil reliqui amor sui fecerit, spe propè omnium emendationis adempta, quàm extrema quædam salutis ac vocationis præcipitia.

Sequitur indiuiduo quodam nexu amorem sui, ingens ignoratio sui; vt in rebus suis in perpetuis tenebris ac densa vbiq; nocte ambulent. acciditque his qui hoc vitio tenentur quod phrenesi laborantibus, qui quo propinquiore morti sunt, eo se valentiores arbitrantur, pereuntque dum in summa valetudinis bonæ opinionæ sunt. E quo deinde errore stolidissima sequuntur consilia, audent viribus non imparia

tan-

tantum, sed & sibi & Religioni noxia. nec remedia sperari possunt, cum & graui teneantur ignoratione morborum suorum, nec monentes admittant. sibi nimirum illi sapiunt, reliquis fidem abrogant: vt omni planè spe careant valetudinis bonæ.

Cumque cæci in suis sint, oculatissimi in alienis sunt. monstro similes. domestica & è propinquo sua non vident, remotissima aliena vsque ad ossium medullas, scrutantur. quin etiam vident in alio quæ nusquã sunt: cum solis suspicionibus in aliorum vitiis oculos habeant, in quorum tamen laudibus oculis carent. si quid lucis in aliis, nihil vident; si quid tenebrarum, vident. noctemque non rarò in alieno cælo reperiunt in quo plenissima lux est, diemque in densissima nocte sua vident. ita in nocte diem, noctem in die reperiunt; prodigioso vbique errore. tantum cæcus potest amor sui. minima illi in alio vitia maxima sunt, verruca mons est, pilæ surgentes cælo rupes, festuca trabes, risus fulmina cælo iaculata: in se ingentia criminum saxa nulla sunt, montesque & superstantes nubibus rupes, nullæ sunt. quid? quòd vitia etiam sua virtutes arbitrentur, infantiam eloquentiam, imperitiam scientiam, fatuitatem prudentiam, morositatem lenitatem, aspe-

asperitatem suauitatem. quo fit vt in gra-
uiffimos errores labantur. nemo mirabi-
tur qui cogitauerit oculos illos habere to-
xico faginosos, ac in alienis inuidia ac odio,
in suis amore sui grauidos: feбри deinde il-
los maligna teneri. quo fit vt suauia illis a-
mara, mella fella videantur: amorisque sui
veneno farti ac faginati, nil prater venena
in aliis vident, & vt cum improbitate in-
geniosus hic amor est, si quid inter ingen-
tes aliorum virtutes non laudandum latet,
araneorum more exugit, optima intacta
relinquit.

Succrescit deinde ex hac improba ra-
dice amoris sui, Dei diuinarumque rerum
densissima ignorantio. cum enim in omni-
bus se solum, commoda, honoremque suum
intueatur qui hoc malo tenetur, fit vt lon-
gissime absit a diuinorum consideratione
cognitioneque. quod si quæ caelestia in-
tueatur, non videt ea nisi qua parte com-
modis illa suis subseruire posse arbitratur.
& sanè tegitur spissa quadam nebula qui-
cunque hoc vitio laborat, vt caelestis solis
radios intueri non possit: aut si quos in-
tueatur, facit eorum more qui per obscu-
ram nebulam, vestigia quaedam caelestis
luminis intuetur.

Cum verò fiducia sui ab amore sui nata
casti-

castimoniam sit hostis, fit ut mille se pudicitiam periculis induat, quicumque plus æquo prudentiam suam innititur: & antè labatur infelix quàm damna senserit. cumq; commodis suis impensè studeat, delectatur mollibus, & corpori amica avidus amplectitur: effundit se proinde facilè in cibum & potum, castitati inimica. accedunt excusationes in omnibus suis, spretaque prudentium monita. quo fit ut cum in præcipitio steterit, præcipitia ignoret, & antè per inuia infortunatissimo lapsu deuoluatur quàm periculum adire se sciret.

Scinditur exinde vniuersæ familiæ caritas mutuaque animorum coniunctio, quæ una Religiones firmantur, ac tanquam inenodabili vinculo connectuntur. cum enim singuli paullatim horum exemplo rebus suis studeant, fieri non potest ut coalescant animi, dum singuli se suaque, comoda, honores, reliquaque præferri volunt aliis: quæ cum mutuò se iugulent permittantque, necessum amorem interire, amicitiamque penitus omnem ab illa domo exulare. nam nisi omnia probes quæ cæcus amor sui ambit, amicitia collabescit. omnia probare in tanta iudiciorum diuersitate impossibile est, nisi adulatio rebus misceatur, quæ cum germano amore stare

stare non potest. accedit, eos qui hoc malè tenentur, sibi amicos esse, aliis esse non posse, cum solis rebus suis studeant, aliorum commoda laudesque ignorent.

Ingrediuntur verò huius loco doli & fraudes, omni candore ac sinceritate pulsa: nam cum regia via ad optata peruenire non liceat, queruntur anfractus, subdolaque semita, & per obscura viarum ad præfinitum animo tendimus. quod si minus voto successerit, nec cogitationibus responderint; suboriuntur mærores, grauesque insurgunt melancholia, ac non vixima pusillanimitas, timoresque, ac ingentes vndique curæ: indeque extremus quidam languor, orationum salutisque proximorum neglectus, ac vniuersæ vocationis contemptus. nam cum quæ validè animo proposuit, his non consequatur viam, ad alia principia vitæque genera amoris suo congrua, se, cogitationes, studiaque sua, toto conatu conuertit.

Remedia.

EXercitatio sui in rebus humilioribus, maximeque in iis, à quibus potissimum horremus, delectusque eorum, quæ in primis auersamur: animo prius per varias hu-

ius generis meditationes exculto, & ad viliora ac duriora excitato; proposita sibi humilitatis pulchritudine, utilitate, necessitate, præmiisq̄ue virtuti huic à Domino æternùm concessis: superbix̄ verò fœditate, damnis, minisq̄ue ac pœnis à Deo intentatis: cælum in Lucifero, & Angelis illius; paradisum in primis parentibus; orbem, in infelici ferè superborum exitu; infernum, in miserando æternùm arrogantium cruciatu considerando.

Mutuæ deinde caritatis per beneficia invitatio: mutui honoris, maximè in ijs, à quibus alieniores sumus, præventio: honoratorum operum, & quæ plus externi splendoris habent, aliis concessio: difficultiorum, minusq̄ue in speciem illustrium arrogatio.

Contemptus in se sui, dictorumq̄ue factorumq̄ue suorum præteritorumq̄ue criminum memoria.

Sanctorum hîc, magnorūq̄ue, ac Christi ante omnia exempla proderunt, si nostra cum illis composuerimus: si quanta Deo, creationis, conseruationis, redemptionis, innumerisq̄ue penè aliis titulis debemus, præmiorūq̄ue cælo repositorum magnitudinem frequenter consideraemus.

Y Pro.

Proderit in primis frequens cogitatio
 Ionn. 12. verborum Domini: *Qui amat animam suam
 perdet eam: & qui odit animam suam in hoc
 mundo, in vitam æternam custodit eam.* qui
 odit, prauas animi propensiones frangit
 ac domat: qui amat, assensum illis præbet,
 obsequitur. ille demetit tanquam falce
 luxuriantes noxias herbas, nusquã parca
 ferro & ignibus sæuit in insurgentem amo
 rem, hoc vno pius, quòd impius sit amor
 nec quidquam largitur petenti.

Iuuabit etiam odio quodam ferri in hoc
 vitium, propositis sibi illis quæ ex hoc na
 sci consueuerunt. maximè quòd nec hu
 mana nec diuina, vbi inualuerit, penitus ha
 beat amor sui. nihil apud hunc sanctum,
 in illum secretum, nisi qua parte commo
 dis hæc suis seruiunt. pugnant cum amore
 sui? violabit omnia, quòd amoris suo consu
 lat. Ingens deinde cæcitas amoris sociis
 terrere nos debet. cæcus ad æterna præ
 mia, ad ignes æternos est. nec mortem vi
 det imminentem fors cras, fors hodie.
 sed neque finem suum consequitur hic a
 mor sui. laudem quærunt? damnationem
 referunt. commodis suis student? ferè iis
 frustrantur. honores venantur? ignomi
 niam referunt. cùm gloria fugientem se
 quatur, prosequentem destituat.

Ma-

Magnum deinde calcar ad victoriam sui, cogitatio seria iudicij extremi, in quo occultissima quæq; nostra retegenda sunt orbe inspectore; mortisque momento omni dubia incertitudo. & quò mihi in illa hora gloria, opes, eruditio, scriptio, eloquentia, commoda? quis tunc sensus humanarum laudum, quæ utilitas?

Vtile etiam fuerit sapius animo voluerit, quanti nos orbe toto vicerint robore, forma, eloquentia, opibus, honore, commodis, prudentia, variaque eruditione, æternis nunc ignibus materies æterna. quòd si humanas laudes spectemus, quanti nos laudant? quàm pauci norunt orbe toto? & vicesimúsne quisque è notis laudat? certum plures damnare. iam quò laus absentium ignorata mihi? præsentium verò laudes, adulationes sunt, laudes non sunt. cum ergo absentium de te laudes ignores, præsentium adulationes habendæ sunt, quid certi in humanis est quo extollimur?

Necessaria in omni hoc vitio frequens seriaque conscientia per diem discussio: validum in eo propositum victoriæ sui: omniaque amor huic amica generosè ac constanter pellere; illiusque loco contemptum sui, diuinumque in se amorem his similibusque verbis excitare, *Dilectus meus mihi,*

Y 2

mihi,

mibi, & ego illi; qui pascitur inter lilia. Deus meus, amor meus, & omnia. A te quid volui super terram? Pars mea & hereditas mea Dominus. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Exultabimus & latibimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Fasciculus myrrha dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Botrus cypru dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Sub umbra illius quem desideravi sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meae, ut inueniam te foris, & deosculer te, & iam nemo despiciat? Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus amulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammularum. Aquae multa non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Haec aliaque generis huius, quae cuique sua pietas, & amoris diuini auctor Deus suggeret, ad illius amorē nos excitabunt. beneficiorum etiam commemoratio diuinorum, grataque recordatio, praemiorum deinde caelo repositorum, ac passionum Domini. potentissima haec incentiua veri amoris sunt.

Orationis denique studium plurimum in hac re poterit. in quo mens cælestibus collustratur, discutitque cælesti lumine errorem suum, agnoscit tenebras exiitque, melioribus cognitionis amorisque diuini radiis perfusa.

CAPVT XIII.

Dictorum factorumque suorum commendatio, reliquorum damnatio.

EST hæc innata quibusdam conditio, consuetudine deinde aucta & roborata, sua ut laudent sola, aliena aut damnent, aut silentio transeant; laudes suas etiam ab imperitis auidè excipiant, aliorum, deiecto vultu, fronte, oculis hauriant, & cum improbare non possint, nunquam tamen probent. Dolent potius aliorum præclaris dictis factisque, ac mœrorem si quando verbis obtegāt, vultu tamen produnt; ad sua, etiam minima, & quæ laudem nullam merentur, si quis laudator accedat, totis animis ut ad tubas & tympana militiæ amatores, exiliunt. nec continere pruritus hunc possunt, os genæque gaudium testantur; ut ille iam illis amicorum

rum primus maximusque sit, qui primus maximusque laudator est.

Quò te veritas in hac vanorum hominum prurigine? laudabis omnia? non est viri Deum timentis; neque enim possibile est, non profluere ab homine quædam non laudanda. damnabis? pro hoste habebis. tacebis? non laudasse, damnasse apud hos est. quin adeò eò crescit hæc quorundam scabies, vt in vno non laudasse, aut improbasse, in omnibus damnasse sit. Nescit modum aut frenum sibi imponere laudum hæc libido: sed neque vulgari contenta laude est, etiam infima in summa reponi laude desiderat. ferendum quoquo modo esset, nisi meritò improbanda non rarò, summè etiam laudari velent; vt, ni feceris, contracta ac corrugata fronte, detectisq; genis ac superciliis mœrorem testentur, & amicitia renuncient. cum enim amasse in illis, laudasse; non probasse, damnasse sit, fit vt amorem & odia, sola laude & improbatione metiantur.

Et sunt plerumque hi molesti grauefque omnibus: nulla enim propè illorum colloquia sine dictorum factorumq; laude reperies. velis proinde, nolis, laudes audias necessum est: & ingerunt has nulla sæpe temporum, locorum, personarum

ha-

habita ratione ad omnium fastidium; nec immunem quemquam ab importunissima laudum suarum narratione abire permittunt, veriti ne, si vnus ignorauerit, damnati, aut non satis laudati videantur. non facerent si memores essent monitorum Sapientis: *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.* *Prov. 27.*

Nec inter domesticos tantum, apud quos faciliior venia esset, sed inter externos, & mulierculas etiam ingentibus verbis decantant sua: quæ nisi plenæ abeant cõmendationibus, nullum sibi dictorum factorumque suorum fructum retulisse videntur; futuræ nimirum apud socias aut æmulas, laudum præcones confessariorum suorum; narranturque sæpe dicta factaque, nec dicta, nec facta vnquam: imò vniuersæ aliorum Superiorumque laudes in illos commigrat: ab horum scilicet consiliis, si quid in domo vniuersa est, quod laudem mereatur, profectum est; sin aliud infelici euentu præter spem successit, his monitoribus meliora euenissent. aliud suaferunt, auditi non sunt; hinc damna accepta: auditi fuissent, & alia longè rerum facies esset, & pro damnis emolumenta nata forent.

Noxium ante omnia hoc hominum genus

nus in Religione est, multorumque emulationibus & inuidiæ obiectum, mutuarum dissensionum & alienationum causa. Et nati hi non Religioni, non Deo, famæ tantum suæ sunt: nam si Deo & Religioni, gauderent vtriusque nominis propagatione, quam aliorum dictis factisque ingentia vident incrementa sumere. Non gaudere, non laudare, cum meritò possis, damnare est. Et cum de tuis minimis prodigè in omnem lætitiâ profundaris; in aliorumque etiam maximis, doloris potius quàm lætitiæ signa prodas; non hoc est de Domini Religionisque gloria, quæ talibus augetur, crescitque in maius, dolere; quæ quibus innitantur principiis, nemo non videt; superbiæ nimirum & inuidentiæ fundamentis, quibus hæ suorum laudationes, alienorum damnationes inædificatæ sunt.

Et sanè non minùs perniciosus est, qui alienas laudes alto silentio premit, quàm qui eleuat, aut damnat facta. quid? quòd silentio suo grauiùs sepe ille feriat, quàm apertus hic improbator: nam cum primus ferè moderatioris ingenij habeatur, vt qui affectus suos tegat, fit vt silentium illius pro aperta damnatione habeatur. Non laudasse enim cum possit, qui modestiæ
opt-

opinionem habet, vituperasse est. & ille qui apertè laudandà damnat, criminato-
ris potiùs nomen obtinet, & verbis ipsis, improbandique modo alienationē osten-
dit, incompositumque minusque ordina-
tum affectum, vt hoc ipso fide careat. at
ille alter modesto seueroque silentio fi-
dem reperit, vulneraque infligit, altiùs pe-
netratura, quo à profundiore mente in-
fliguntur & veniunt.

Et tales ferè, qui alto silentio laudanda
in aliis premunt, ingentes sub modesta
fronte arrogantia montes tegunt. neque
enim aliunde prouenit parca hęc alienarū
virtutum laudatio, quàm ab animo laudis
suae auido: qui cùm aliorum commenda-
tionibus suis detractum iri veretur, seriò
cauet ne quid elabatur in alio laudandū.
apertè damnare conscientia terret, & ex-
terioris cuiusdam moderationis opinio ca-
ptata: silere posse arbitratur, nec vlla lege
ad alienas laudes vulgandas teneri. qui si
cogitaret plus saepe moroso se obesse suo
silentio, quàm apertum criminatorem ef-
futiendi quidlibet licentia; non tam par-
cus laudator effet.

Et sanè vt homines fugiat, Deum latere
mens illa æmulationibus grauida non po-
test. videt illam propriarum laudum bal-

neo, tanquam oceano innatantem, aliorumque encomiis liuidam: nec crimen effugere potest interni fastus, à quo vnico hæc silentia imperantur.

Et sanè nisi ingenti vndique cingeretur possidereturque rerum suarum arrogantia, vt nullo non loco ac tempore auidè laudes suas venetur, non tam seверо silentio aliorum præconia premeret: quæ cum veluti soles arbitretur officere tenuissimis lucernarum suarum luminibus, omniconatu dies illos supprimit, magnaque eos silentij sui nebula, densaque liuoris nube tegit; qui si altiùs pectoris sui latebras excuteret, perfacilè fundamenta taciturnitatis huius erueret, & in abditæ arrogantia suæ profundum nullo negotio veniret.

Quamquã palàm ac quasi aperto Marte dicta factaque aliorum damnare, maioris cuiusdam impudentiæ sit: nequætales aliud expectare debent, quàm vt pari licentia feriantur. ferè enim hæc diuinæ cuiusdam vindictæ remuneratio quædam est, vt damnari sua ab omnibus sentiant, qui omnium damnant; ita talionis pœna ferit hos Deus, aut permittit ea, qua ipsi reliquos, mensura donari: acciditque illis, vt cum dicendi licentia in omnes se profundant, omnium etiam patiantur linguas.

guas, calamisque omnium percutiantur, qui nulli parcere didicerunt: & ut nihil illis rectum bonumque, quod ab alio patre natum est, ita nihil horum, probum aliis laudique dignum videtur, aut quod nomen decusque mereatur.

Graues deinde tales omnibus esse consueverunt, inuisi paribus, duri inferioribus, nisi quos perpetuos laudum suarum praecones nacti fuerint: Superioribus molesti. cum enim mutuam pacem turbent, amicitias ac necessitudines dissoluant, non Superioribus, non aequalibus, non inferioribus parcentes, fit ut omnium in se animos prouocent, omniumque indignationem extimulent: unde etiam fit, ut omnes horum familiaritatem fugiant, consuetudinem auersentur, ut à qua nihil expectare possint, praeter graues censuras, seuerasque accusationes, eo molestiores, quo neminem propè illa sum praetereunt, damnant omnes, testes facti ac iudices omnium, maximeque magnorum virorum, in quibus ob augustam aliquam nominis amplitudinem, pronius inuidia & aemulatione stimulante incurrunt.

Reme-

Remedia.

A Malorum, quibus laudator sui agitur, extirpatione petenda sunt: innotam quandam hinc superbiam inuidiamque nemo non videt, quibus agitatur, & alienis contabescit, ac suis pascitur laudibus. Quare ad superbiam ac inuidiam radices securis admouenda est, contrariisque submissionis & amoris remediis animorum hæc venena pellenda sunt.

Assuescat proinde quicumque hic est, aliena laudare etiam minima, illa mirari, predicare & publicare; sua tegere, deprimere & extenuare: fugiat suorum laudatores: cogitetque ferè eos nos pati grauissimos in absentia censores, quos presentes profusissimos sensimus laudatores.

Cogitet illa nobis speranda ab aliis, que nos impendimus aliis, paribusque dicta factaque nostra commendationibus, aut vituperationibus metienda.

In aliis denique, qui simili vitio tenentur, tanquam in speculo seipsum intueatur, & in aliena fœditate suam deuitet; alieno exemplo vitia emendet sua. displicent in aliis? fugiat in se displicentiora. odit domesticæ pacis turbatores, amatque
socias

focias dextras necessitudinis fraternæ :
 exequatur in se quod amat in aliis : fu-
 giat quod odit in illis, factus iam aliis ma-
 gister & ductor mutuæ caritatis, æternita-
 tis memor vitæ alterius, breuitatis huius,
 poenarum & præmiorum illius, incertitu-
 dinis huius.

CAPVT XIV.

*Ambitio. speciosorum munium prosecutio:
 vitiorum fuga & contemptus.*

MALORVM omnium in Religione
 summum, & è quo tanquam ocea-
 no & fontibus, reliquorum ferè vitiorum
 flumina nascuntur. Quid enim sperari ab
 illo potest, siue in salutem proximorum,
 siue in Religionis augmentum, siue in di-
 uini nominis propagationem, cui honor
 dignitasque propria pro proposito sibi fi-
 ne est? quique cogitationes suas omnes in
 præfixum sibi dignitatum suarum scopum
 iaculatur? Quid non timeri? Diuini illi no-
 minis gloria, salus proximorum, Religio-
 nis progressus, tamdiu cordi erunt, quam-
 diu hæc idoneam ambitioni suæ materiam
 iudicauerit: vbi senserit auxilio sibi ad quæ
 sperabat, non esse, repellet & auersabitur,

vt

vt votis, expectationi, conatibusque suis inimica; adeoque in depressionem ac euerfionem illorum studia sua conuertet, si per calcatam Dei Religionisque gloriam, proximorumque salutem, viam sibi ad honores stratam viderit.

Cæca omnis ambitio est. nihil videt præter conceptam semel animo gloriam, qua tanquam densa circumfusus nebula, nullos aliorum prospectibus habet oculos. sol luceat, sideraque micent; nihil videt oculus obscura dignitatum suarum nube circumuallatus. nubem suam videt, ad reliqua cæcutit. Non patet illi aditus nisi per scelera ad præensum decus; per scelera in illud ibit. clausa illi semita est ad munus quod ambit, nec aditum videt, nisi per diminutionem famæ alterius? miscebit falsa veris, & in optimo quoque comminiscetur pessima; nec persecuendi finem faciet, donec detractionibus, tanquam validis harpagonibus, innocentem à munere deturbauerit, vt optato potiatur. obstat fortior illius studiis? adulationibus expugnare conabitur. irriti hi cadunt doli; ad aperta se conuertet odia, vt importunitate ac improbitate vincat, quem non potuit fraudibus.

Hinc ingentes domi animorum nascun-

scuntur conturbationes, dum mente ambitiosus inquieta, iactatione sua commouet reliquos: vt pro pacato equore, tempestuosa in Religiosa domo reperias maria; forbendus cum non vno, si propiùs accesseris, & inter hortorum pratorumque hæc quondam amœna, fornaces inuenias, ambitionum ignibus accensas, amburendus si admoueris pedem.

Misera Religionis conditio, quæ ambitioni patefecit ostia. reliqua enim cum illa admisit vitia: neque enim sola venit, ingenti scelerum omnium stipata comitatu est. nec vllum iam illi scelus, si fruatur optatis. etiam in matrem sæuiet, & per calcatum Religionis vterum ad propositum sibi decus aduolabit interrita, crudelis in genitricem.

Sed neque, si sperata consecutus ambitiosus fuerit, quiescet, noua meditabitur: perpetuo namque tanquam rotatu per aspera, mollia, plana, præcipitia, voluitur infelix. nec vlli minùs quàm sibi placet. intus inuidia depascitur, foris aduersarios patitur; nulli amicus, inimicus omniù; contemptor omnium, omniù percutitur linguis; pari mensura ferendus, qua prior ille reliquos ferit. alienæ virtutis hostis; nulli benignus, crudelis in omnes.

omnes. nullius etiam beneuolentia donatus. laudat neminem, damnat omnes, etiam quos sibi iunxit. nam si eos viderit vilioribus contentos, inter inglorios & ignavos numerat: si ad maiora exemplo suo contententes, pro hostibus & gloriae suae obstructoribus habet. sed neque facile fidem adhibet ulli, suo semper ingenio reliquos metiens. suspectissima deinde illi omnia, dum singula metuit, & ingeniosa solertia, è vanis, nec cogitatis principis miras consecutiones necit. & ferè cogitandum talem reperies, multa machinantem, melancholia etiam oppressum, nusquam explicatum, dum vel amittendi muneris torquetur metu, vel inæret de repulsa, vel in obtinendo etiamnum laborat, & aduersarios circumspicit.

Infelix planè ambientium in Religione conditio, qui nec noctes patientur quietas, dum perpetuis aestibus iactantur. nulla iam illis oratio. vota pro oratione sunt. exulat pietas, & pro pietate speratum illis decus inhaeret animo; pro Dei praesentia, expectata gloria. quid? quòd vilescant animis, dum singulorum, quos commodos sibi arbitrantur, captant gratiam, etiam vilissimorū; ad quorum se genua abiicient, si idoneos arbitrabuntur fini proposito.

omnes

Ha-

Humilis contra, forte sua contentus
 quanta in pace degit? nec mirum in pace
 esse qui nihil ambiat, nulli abblandiatur,
 nihil a quoquam speret. quare nec quem-
 quam veretur, aut sollicitè & anxie co-
 lit. erecta illi verba, animus celsus, nul-
 liusque, præterquam Dei indigus. verba
 plana, nec ad gratiam composita, nec ad
 simulandum formata, aut ad fallendum
 delecta. inimicus nulli, amicus omnibus;
 molestus grauisque nulli, carus omnibus,
 in alta quiete, omniumque admiratione
 & laude vitam ducens, vitamque finiens
 rara posteritatis grataque memoria. Super-
 ioribus obsequens, inferioribus carus,
 paribus acceptus, omnium ore laudatus.
 familiaritatem illius ambiunt omnes, de-
 lectantur consuetudine, pascuntur collo-
 quiis. Superiores concedi hunc sibi postu-
 lant, prehensant inferiores, paresque gra-
 tulantur sibi. qui quo maiore submissione
 repellit à se magna, hoc maiori impetu
 confluunt ad illum magna. postrema deli-
 git, prima omnes vtrò obtrudunt. vilissi-
 ma ambit, summa nolenti ingeruntur.
 quoque maior sui contemptor, hoc vali-
 diore aliorum conatu extollitur. Hæc sunt
 debita virtuti præmia, quibus omnis am-
 bitiosus caret. vt bene Augustinus: *In hu-*

Z

*Serm. 1.
 de vita.
 mili Cleric.*

mili loco salus, in alto periculum. & eleganter Magnus Gregorius, ad ambitionis contemptum, metum, horrorem, humilitatis amorem & amplexum: Audiant humiles quàm sunt aeterna qua appetunt, quàm transitoria qua contemnunt: audiant elati, quàm sunt transitoria qua ambiunt, quàm aeterna qua perdunt. audiant humiles ex magistra voce veritatis, Omnis qui se humiliat, exaltabitur: audiant elati, Omnis qui se exaltat, humiliabitur. audiant humiles, Gloriam pracedet humilitas: audiant elati, Ante ruinam exaltatur spiritus. audiant humiles, Ad quem autem respiciã, nisi ad humilem & quietum & timentem sermones meos: audiant elati, Quid superbis terra & cinis? audiant humiles, Deus humilia respicit: audiant elati, Et alta à longè cognoscit. audiant humiles, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare: audiant elati, Initium omnis peccati superbia. audiant humiles, Quia redemptor noster humiliavit semetipsum factus obediens Patri usque ad mortem: audiant elati quid de eorum capite diabolo scriptum est, Ipse est lex super omnes filios superbiã. Occasio ergo perditionis nostræ facta est superbia diaboli, & argumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei.

Remedia.

AB humilitate petenda sunt. ambitu-
 aliquis magna, in vilissimis continen-
 dus est, ad ignobilissima loca relegandus,
 minimisque destinandus: vt talium assue-
 tudine aut se vincat, conteratque altiores
 spiritus, ac sub iugo contineat; aut impa-
 tientia victus, Religionem à metu liberet.
 cōsultius enim fuerit talibus carere, quàm
 tot domi turbarum causam alere. monen-
 dus tamen serio, per confessarium, aut Pre-
 fectum spiritus, aliosque viros magnos.
 pœnitentiis etiam stimulandus: quæ si irri-
 to cadunt conatu, & perstat ille in fastu;
 forti Superiorū robore & constantia con-
 tinendus in humilibus erit. aut enim se
 vincet, animosque domabit, magno Supe-
 riorum aliorumque gaudio; aut submis-
 sionis impatiens, in apertam prorumpet
 defectionem, Religionemque metu libe-
 rabit.

Proderit in primis, si omnis illi materia
 gloriæ adimatur. obseruetur diligenter à
 variis, ac sicubi deliquerit, non parcatur.
 si quid vituperatione dignum egerit, non
 fileatur: si quid laude, silentio prematur. à
 magnorum clarorumque virorum, ma-

tronarumque confessionibus & consuetudine auocetur, adimatürque illi vniuersim quidquid ad laudem facit aut ducit.

Forti sententia terret ambitiosos Origines: *Omni adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se iudicandos potius, quam iudicaturos, hi qui praesse volunt populis, cogitarent.* Ambitionem verò ipsam scitè

Bernardus describit: *Ambitio futile malum, secretorum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, lioris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excacatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans.*

Nobile remedium à Diuo Gregorio habemus: *Plerumq, elatos vtilius corripimus, si eorum correptionibus quadam laudū fomenta misceamus. inferenda namque sunt illis aut talia bona quæ in ipsis sunt, aut dicendum certè quæ poterant esse si non sunt: & tunc demum refecanda sunt mala quæ nobis displicent, cum prius ad audiendum eorum placabilem mentem fecerint premissa bona quæ placent. nam & equos indomitos blanda prius manu tangimus, ut eos nobis plenius postmodum etiam per flagella subigamus; & amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adiungitur, ne ea quæ saluti profutura est, in ipso gustu aspera amaritudo sentiat: & dum gustus per dulcedinem fallitur, ha-*

mor

mor mortiferus per amaritudinem vacuatur. Ipsa ergo in elatis inuentionis exordia permista sunt laude temperanda, ut dum admittunt fauores quos diligunt, etiam correptiones recipiant quas oderunt.

CAPVT XV.

Delectus munium, locorum.

FALLIT plurimum Superiores hic delectus, nec respondet votis, plusque ferè siue temporalis, siue spiritualis auxiliij ab alijs consequitur. quòd maior in his fiducia in Deum eluceat, plus in illis prudentiæ humanæ: quo fit, iusto Dei iudicio, ut spe ferè sua Superiores frustrentur, cum sæpe etiam tales patiantur aduersarios, grauesque obseruatores ac censores, quos precibus impetrarunt. Monitorum deinde ac si qua necessitas id postulet, iniungendarum pœnitentiarum libertas tollitur, cum offensionem Superiores vereantur; & qui se vocatos sciunt, liberiùs offendant, euocationis suæ spe freti, facilesque ad murmurationes sint, si minùs placentia imponantur. Nec quidquam in his promptius, quàm ad minimarum rerum displicentiam illud inculcare, Cur euoca-

uit bene constitutum: melius mihi eratalibi. Nascitur inde non loci modò, & muneris, sed & omnium propè displicentia, & murmurationes, inde animi inquietudines, cùm nunquam explentur desideria, & præteritorum memoria præsentia displicent.

Quòd si in Superiorem minùs fortem, aut robore destitutum delectus ceciderit, sequitur facilis & ingens noxiorum iuxtà ad bonorum permistio; cùm indulgentiores ferè simus in eos quos vltro vocatos meminimus: & nullus propè querelarum locus apud eos, qui mederi possent, ne delectum nostrum damnare videamur, aut imprudentiam accusare; neue consuetum illud audiamus, Habes quem petisti; obsecutus sum voluntati tuæ. antè cogitalle oportuit. bene illi alibi erat. vt omnis iam culpa in euocatorem eat. atque hinc graues sæpe multorum offensiones nascuntur, cùm Superiores delectus sui sibi conscij, ne aut offendant, aut mœrore afficiant, aut minùs commodos tales experiantur, non cōcedenda concedant. quod vbi fit, abit res in exemplum, & paria sperare reliqui non verentur, paria etiam audere: è quibus vniuersa paulatim domestica disciplina delabitur: quæ vbi refrixit ac
corrui;

corrui, à sola ferè sectione remedia expectanda sunt; mutandi nimirum plerique omnes, & ad Superiores disciplinæ arctioris, variâque amandandi loca sunt, cum à sola propè mutuæ cohabitationis separatione salus sperari possit: ac disciplinæ amantiores in illorum locum substituendi erunt; aut sanè Superior ipso loco mutandus, & robustior illo subrogandus.

Eadem incommoda in inferioribus reperias, qui precibus locorum mutationē impetrarunt. sequitur enim plerumque pœnitudo, cum non omnia votis respondeant; & damnamus preces nostras, & queri erubescimus, ne consilia ipsi nostra accusemus, & audiamus inconstantes: inde mœrores, ac tacitæ interni roboris emedullationes, cum interiores animi vires exeduntur, & aperire pudet, & ad vincendum robore destituuntur. ad locorum enim novas descendere mutationes, rubor vetat; & locorum tamen, sociorum, Superiorumque ferre condiciones imbellis animus negat, aut innata quædam menti aliena, pugnantque cum aliis, ac quasi hostilis & inimica conditio. ita cum hinc verecundia terreat, isthinc molestia crescat; contabescit animus, aut in apertas prorumpit factiones, & causas aliquas com-

miniscitur, quibus inconstantiam suam
regat. has si verisimiles reperiat, laxat de-
lationibus habenas; sin minus, commini-
scitur etiam falsas, dummodo potiat
optatis, subducaturque quasi è seruitute cer-
uices nunquam satis domitas, nec suavi
obedientiæ iugo in solidum submissas.

Prosiliunt ex his initiis omnia malorum
genera; nec quidquam tam à Religione
alienum, quod non audeat. semel enim
pudore deposito in omnia se profundit
mala, & quæ antè damnauerat, probat ut
sequenda: ita qui febribus tenentur, ini-
mica antea gustui laudant, & auidius hau-
riunt, profutura damnant.

Accedit, quòd rarò diuina bonitas felices
huic delectui successus tribuat, ut qui
resignatæ obedientiæ repugnet, plusque
adferat iudicij nostri, quàm in Deum fi-
ducia: quasi enim de Domini in nos pro-
uidencia diffidentes, recurrimus ad hunc
seu personarum, seu locorum delectum,
cui poenitentia perpetua & indiuidua co-
mes est. quod innumeris propè aliorum
exemplis discimus: quorum infelix exitus
meritò terrere omnes, & auertere ab his
consiliis debeat.

Iam cum ferè in inferioribus delectus
hincantur ex amore sui, cum huic aër sit
crassior,

crassior, illi tenuior; huic minùs amœnum
 cælum, illi nimis sudum; alteri plebeia ni-
 miùm occupationes, minùs splendida, mi-
 nus è dignitate, eruditionis opinione, vul-
 gares, rariores, frequentiores, intempesti-
 uæ, subita: aut Superior durior, tenacior,
 morosior, oculatior, maturior, retractior,
 ad suspiciones pronior, regularum obser-
 uantior; aut alius suauior, liberalior, mol-
 lior, faciliior, hilarior, laxior, ad omnem
 concessionem profusior, indulgentior; fit
 vt in ingentia se plerumque animarum
 discrimina conijciant: cùm ferè ignorent
 quanta domi forisq; pericula immineant.
 intus nimirum latet malum, quod nisi ex-
 cusserint, nulla locorum mutatione pel-
 lent: cùm ferè tales libertatis amor, disci-
 plina Religiosa fuga, commoditatù cor-
 poris studium, adnatus animo tepor, gra-
 uiorum metus & horror, ad hæc consilia
 adigant, vnde fit vt sperata apud Deum
 mercedis non postrema, aut omni etiam
 parte spolientur, cùm delecti muneris aut
 habitationis concessio mercedis illis lo-
 co sit.

Z §

Rea

Remedia.

Indifferentiæ studium, frequens excita-
tio in Deum fiducia. cui maior cura de
nobis, quàm nobis ipsis incumbit.

Incommodorum delectui huic colliga-
torum memoria, recordatioque illorum,
quibus non rarò cum interitu delectus hic
coniunctus fuit.

Nihil deinde in omni Religione certius
pacatiusque, quàm vniuersam sui curam
Deo cõmittere; ne quid videamur detra-
xisse de ingenti in illum fiducia, plusque
prudentiæ nostræ, quàm illius prouiden-
tiæ fidisse. Ille securus viuit, qui totum se
diuinæ gubernationi commisit. quàm for-
titer monemur, quàm certò: *Considerate*
lilia agri, quomodo crescant, non laborant, neque
nent. Si autem fœnum agri, quod hodie est, &
cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quan-
to magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti
esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bi-
bemus, aut quo operiemur? hac enim omnia Gen-
tes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his o-
mnibus indigetis. querite ergo primùm regnum
Dei, & iustitiam eius: & hac omnia adicien-
tur vobis. Quòd si pergat delectus hic ani-
mum pulsare, consultum erit cum Præfe-
cto

Et spiritus, aut si quis alius in domo vir prudens, rerum experientia edoctus, consultare; nec quidquam aggredi, nisi non tantum consulto sepe Domino, sed aliorum iudicio præquisito, quorum potius sententiis, quam nostris stemus.

Proderit etiam aliquando cum iudicio confessarij voto se aliquo temporario obstringere, omnemque hanc delectus cogitationem negligere ac respuere, ut inimicam Deo, aut sanè ut minus ei placentem gratamque, ut obedientiæ repugnantem, adeoque ut omnis perfectionis hostem, omnisque inquietudinis matrem.

Moueant nos exempla Christi, totum se parentis obedientiæ committentis: *Mettus Ioan. 4:* *cibus est ut faciam voluntatem eius, qui me misit, ut perficiam opus eius.* & post illam lacrymarum, sudorum, sanguinum luctam, omnium quas vlla sæcula viderunt grauissimã, *Non quod ego volo, sed quod tu;* & apud *Mar. 14* Matthæum, *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* *Mat. 26* sequamur ducem milites, & cuius præferimus nomen, imitemur facta.

Magnum victoriæ genus hîc est contraria propensione ambire, voluntatemque valido conatu ad illa propellere, magnorum in omni Religione exemplis. nunquã sanè quidquam poscere, & in re firmare
ani-

animum tutissimum est. versanturque tales in altissima quadam pace, quidquid euenerit, diuinæ prouidentia committentes, securi se non ambiuisse: in quo vno solari se possunt, & audenter cum Prophe-
Psal. 90. ta dicere: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in*
Psal. 22. *protectione Dei cali commorabitur. Nam & si*
ambulauero in medio umbra mortis, non time-
Psal. 24. *bo mala: quoniam tu mecum es. &c. Non erube-*
Psal. 25. *scam quoniam speravi in te. &c. In Domino spe-*
Psal. 17. *rans non infirmabor. protector enim est omnium*
sperantium in se. memores monentis Apo-
1. Pet. 5. *stoli, Omnem sollicitudinem vestram proyicentes*
in eum, quoniam ipsi est cura de vobis. cum
contra petitores interno externoque lo-
latio destituantur. intus habent conscien-
tiam redarguentem, extra reliquorum de-
stituuntur auxilio, bis infelices, bis miseri.

CAPVT XVI.

Nimia in vnam alteramue nationem propensio.

DE beata felicique diuersarum nationum in vno spirituali corpore indiscriminata coniunctione, bene Hilarius:
Psal. 132. *Populo Dei congruit sub vno patre fratres, &c.*
sub vno capite vnus corporis membra esse. non
enim

enim oculus aurem odit, nec nares os execrantur, nec manus pedem spernit. hac enim ut officii mutuis sibi, ita & amore distracta sunt. hoc incundum & bonum habitare fratres in vnum, in eodem esse, idem esse, nec congregatione fieri, nec amore diuersos. Propius etiam ad rem nostram S. Basilius: *Quid eo beatius dici? quid hac coniunctione, unitate ac necessitate aptius excogitari? quid mutua inter se morum animorumque, contemperatione gratius singi? homines ex diuersis nationibus profectos, per exactam morum ac discipline similitudinē adeo in vnum veluti coaluisse, ut in pluribus corporibus vnus modo animus esse videatur: viciſſimque plura corpora mentis vnius instrumēta cernatur.* Hanc variarū gentium tanquam variarum vuarum in vnum torcular amicam commiffionem, aut variorum marmorū in vnius ecclesiae ornatum coalitionem, quicumque sustulerit; & nobilitate & decore suo vniuersum corpus nudabit, & in miserandam ridendamque solitudinem, omni robore augustaque maiestate spoliatam disperget. scinditur enim hac nationū gentiumque discriminatione vniuersum Religionis corpus, quod sola animorum coniunctio tuetur, descenditurque in validas partes; neque iam in vno, aut altero, sed totis concurritur castris, proni que in vniuersa

Const.
moz.
c. 19.

uersæ Religionis perniciem & interitum
laxatis habenis deuoluimur.

Nam vbi semel hic morbus occupauit
animos, nullis iam propè consiliis, aut ra-
tioni locus est. exulat enim cum verita-
te ratio, cùm non tam rerum momentis,
quàm nationum pondere ducimur.

Et quid sperari potest, quid non timeri,
cùm ad fugam, aut sequelā satis est, hanc
illamue gentem ita censuisse, aut damna-
se? in quo non tam rationum momenta,
quàm gentium placita discutiuntur, vt sa-
tis iam sit ad damnationem, alterius à no-
stra natione mentem hanc esse; satis ad
probationem, gentis nostræ sensum hunc
esse. & veritatem ipsam non rarò manu-
tangimus, repellimus interim cùm ab alia
gente prognatam scimus, gaudemusque
deterioribus domi nostræ natis, ne melio-
ra videamur ab aliis mutuati. Desunt no-
stræ viri magni qui præsent, qui que saluti
proximorum incumbant, vt deterioribus
placet domesticis, ne ab externis meliores
videamur deprecere. tantum nationum
studia possunt, vt destituti nostris, carere
in solidum velimus melioribus, ne ab alie-
no solo nata nobis salus, aut petita videat-
ur. & iam ad impugnationem damnatio-
nemque satis est, ab alia, quàm nostra gen-
te

re venisse consilia . etiam solem negaturi
in meridie, si ab alieno in nostrum illuxe-
rit agrum.

Denique ad aperta vniuersim descen-
dimus odia , & perire prauis nostrorum
consiliis, quàm bonis salutaribusque alio-
rum florere præeligimus . ac tandem eò
dissentientiū animorum acerbitas venit,
vt si ignorata gens sit, probemus & sequa-
mur consilia; at vbi primùm innotuit alie-
næ gentis auctor, resiliamus à probatis, no-
uasque impugnandi causas reperiamus ;
priora consilia nostra , ex auctoris ignora-
tione prognata, damnantes . grande ma-
lum, & non iam turbandæ, sed euertendæ
Religioni natum . nam cùm è variis natio-
nibus omnium propè Religionū, tanquam
validissimi exercitus robur conflatum sit,
nec alia re magis virtus illius potentiaque
quàm animorum coniunctione contineat-
ur; nemo non videt, disunctionibus hif-
ce, animorumque dissensionibus, vniuer-
sum robur, quod vna validaque connexionem
firmabatur, labascere, hostibusque ludi-
brium fieri, inimicorumque deprædatio-
nibus exponi; & quæ terrori primùm acies
erat, inuictaque mutua coalitione stabat,
solis domesticis dissensionibus, nulla ex-
terna inimica manu impellente ruere.

Huc

Huc accedit, quòd hæc gentium studia etiam ad externos decurrant: & inuoluntur iam Principum, rerumque publicarum pœnitendis, & in capita nostra casuris negotiis. tantum potest efferuescens hic gentium amor: vt cum æmulationes odiaque abeant in vniuersam gentem, in vniuersam etiam eant consilia machinationesque, exigua cura tuitionis famæ salutisque nostræ: ita dum fortiùs quàm prudentiùs aduersarios insequimur, vulneribus locum damus, & antè sæpe ipsi cadimus, quàm hostem feriamus, aut assequamur.

Et sanè totum paulatim genuinæ Religionis spiritum pestifera hac nationū discretione collabascere necessum est. neque enim inter has inuidias, æmulationes, partiumque studia charitas habere locum potest, vnicum Religionum Ordinumque vinculum ac firmamentum. neque venenatio hoc partium gentiumque studio commaculata Religio valetudinem diu tueri suam potest. ibit non multo post in perimenes morbos potenti hoc toxico inebriata. & quam nulla externa mouere poterant arma, domestico hoc cadet malo. stetit interrita & inuicta stante charitate? cadet pauida labante charitate, quæ nulla

in

in re potentiùs, quàm in diuersarum nationum coniunctione illucescit.

Certè tales degeneres à Christi disciplinatu sunt. ignorat nationum discrimina Christi sanguis, quo vno arctiùs quàm omnibus patriæ vinculis colligamur. non imitamur magistrum discipuli, ducem milites, parentem filij si aliud sapimus, si non pariamur inter nos amore, quos lacrymis, sudore, sanguine, ac vocationis prærogatiua pariauit Christus. nec Apostolos in vnã gentem, sed in omnes misit. & ferè omnium gentium conuersiones ab exteris nationibus profectæ sunt, quo magis in illis diuina luceret potentia: ne quis illarum ad fidem conuersionẽ sanguinis propinquitati, linguarum cognitioni, amicorum opibus, similibusque tribueret.

Quot propè amoris propriij incommoda, tot huius sunt, cum ex amore proprio nationum hæc propensio nascatur. commodior nimirum ab vberibus frequentata lingua, cibus, vestes, locij, amicus, cælum. ignaui militis signa hæc sunt. ardua poscit generosus, in quibus virtutẽ ostendat; gaudet asperis, in quæ magnos animos effundat. sanguinemque aut dare aut haurire pulcrum, ne inglorius, aut sicco hostili sanguine balthæo cadat: hæc prima illi

A a cura.

cura. ab arduis gloriam laudemque venatur. à quibus solis ingentia & viro digna decora nasci arbitratur. facit idem verus Religiosus, qui vocationis ac Christi ducis sui memor, indignatur animos patria sua claudi. angusti hi termini sunt virtuti. vniuersum contuetur orbem. semel renuntiauit patri, matri, fratribus, sororibus, amicis, patriæ, renuntiauit æternùm. aut si retro flexit oculos, indignus Christi sui militia, indignus regno est.

Remedia.

E Superiorum ferè vigili studio speranda ac petenda sunt. initia proinde, seminaque mali huius validâ secanda & excaudicanda manu sunt.

Quòd si publicis priuatisque monitis non cesserit malum, ad pœnitentias decurrendum erit, etiam publicas in publicis delictis.

Quòd si neque hîc steterit malum, seriò de diffensionum harum auctoribus à Religione tota rescindendis deliberandû erit. Clementia est sæuire in paucos, vt vniuersi corporis valetudini consulatur.

Nec inutile fòrs fuerit misceri nationes, vt mutuo hoc conspectu conuictus
coa-

coalescāt animi. plurimū enim ad coniunctionem contubernia faciunt, maximè si à prima ætate mutuo assuescant conuictu. non quòd frequentem in linguarum varietate & imperitia, missionem probem, aliquam tamen probo, & paucorum à prima adolescentia consuetudo, mirum quantum ad variarum gentium coniunctionem valeat.

Neque quenquam in quacunque gente excludendum putem à muneribus, etiam Superiorum, modò reliqua functionibus eiusmodi necessaria adsint. Nam vniuersam aliquam gentem à talibus excludere, magnam & dissensionum, adeoque & odiorum causam præbet. Nam quæ se seclusam videt, paria in aliis tentabit. atque hinc iam partium & nationum contraria & aduersantia profiliunt studia.

Et licet inter genuinos, vereque Religiosos, fuga potius horrorque, quàm dignitatum aut munerum prosecutio, aut vota esse debeant; nescio tamen quis sensus à negatis functionibus pectus animūque feriat. præscidisse, ac in solidum negasse, quasi in vota impulisse est. offer, fastidient. nega, propendebunt. crescit à negatis amor, à concessis fastidium. vt ad expletionem satis sit potuisse: ad desiderij

prouocationem, negatum fuisse. Et vniuersim gentis alicuius exclusio validissimum alienationum ac odiorum prouocamentum est. quis enim nesciat, ex omni gente viros enasci magnos, & sæpe vnã destitui, aliam abundare? ita vno non raro sæculo & ætate plurimi in vna republica duces imperatoresque, ac in omni scientiarum genere exurgunt magni, cum insequenti sæculo nullum bellica, aut literaria gloria clarum reperias. mutuare proinde ab aliis, cum propriis destitueris, prudentiæ est: magis etiam in Religione; in qua non à nationum varietate, sed à dignatione, ac meritis munia distribuenda sunt. quæ res valido illam in primis vinculo colligat, & non nisi stolidissimi ingenij est, nolle ad externa circumspicere auxilia, cum domesticis destituaris. Sanè potentissimos ferè summorum imperatorum exercitus è varia gente videbis; vt mutuis emulationibus crescerent animi, dum pro gentis suæ gloria in posteritatem itura quisque pugnaret. primasque ferè orbe toto victorias à misto variarum gentium robore relatas legimus.

Proderit incommoda secum considerare, quæ è nationum discrimine nascuntur, beneque de aliarum gentium moribus

bus sentire & loqui, semperque in illis inuenire quod laudem mereatur; quæ verò meritis reprehensionibus obnoxia sunt, alto silentio premere: humaniter illos benigneque excipere, ac impensius etiam in salutem illorum incumbere: operamque suam prolixè spondere, prolixius etiam rebus exequi, peculiarem etiam familiaritatem cum illis induere, sæpiusque oportunitate data colloqui, aliquid etiam quando Religio patitur, professione illorum indulgere: hilari etiam vultu excipere à moribus nostris aliena, si nihil contineant Religioni aduersum: ac facillimum esse in delictis illorum ignoscendis: parcissimè cum laude de gente sua loqui, prolixè de aliena: si quæ misceantur de gente tua minus proba, aut damnanda etiam, cum risu ac modestia excipere; quædam fateri, quædam suauiter excutere, alioque sermonè flectere, ad laudem nimirum gentis alterius, aut quamcumque rem aliam.

CAPVT XVII.

Nimia cum uno alteroꝛũ familiaritates.

A Emulationum h̄c magnus aperitur campus. paulatim enim illæ excrescunt in alienationes, adeoꝛque in odia, & frequētes oblocutiones, murmuraciones, detractiones etiam; quoꝛque magis hæ familiaritates crescunt, eo magis etiam crescit obloquendi facilitas. quod quò promptius fiat, causæ improbandi has priuatas familiaritates & disquiruntur, & non magno conatu ab aliis reperiuntur. itur deinde ad talium mores, cùm aut fastum, & reliquorum contemptũ singuli interpretentur aliorum vitiationem & fugam; singulorum vitia, tanquam coalitionis causa singulis imputantur. nec famæ h̄c parcitur aut gloriæ. tantum possunt conceptæ è familiaritatibus hisce indignationes ac emulationes.

Sequitur deinde in aliis fuga consuetudinis talium, vt omnes alieniores tandem reperiant, & diffidentia plenos. quicumque enim se neglectum videt, contemptum etiam arbitratur, & ab innata paucorum superbia nasci hæc putat, aut à studio reliquis se præferendi. quod vbi semel aliorum

rum animos peruasit, omni ope qua dictis, qua factis deprimere tales conantur, quos per priuatarum familiaritatum studium ad maiora coniti suspicantur.

Nascitur etiam plerumque è priuata hac tanto studio parata consuetudine, vt mutua facilè vitia imbibant, adeoque sequantur, æmula quadam morum similitudine, tanto nimirum futuri coniunctiores, quanto mutuis vitii propinquiores. Coniunctio enim, à morum ferè similitudine, initia & incrementa sumit: hinc vt placeamus amico, aut cuius amicitiam venamur, mores effingimus; probi illi aut improbi fuerint, minima ac postrema cura: maxima, placuisse, & ingenio ac moribus se alienis conformasse est. Vincit nimirum familiaritas, quem vitium vincere non potuit: imò quos valido tentationum procurfu vincere non potuit diabolus, vincunt familiaritates. dum aut offendere nolumus, aut mœrorem ingenerare, aut placere lubet, aut imitari etiam iuuat, delectatque similem amico fieri: vt quos arctior quædam necessitudo coniunxit, connectat delictorum paritas, ne nimirum ruborem incutiât amico, si imitari vitia erubescat: quasi amicitia corruat, nisi scelerum connexio statuatur.

A a 4. E mu-

E mutua hac etiam familiaritate, mutuas necessum exurgere adulationes. cum enim mutuam deuitent offensionem, mutuas decantant laudes, mutuoque se scabie hac capti perfricant: probant omnia, improbant nihil, veriti ne quid alienationis enascatur.

Discindimur his familiaritatibus, imusque in partium studia, ac aduersarias molitiones: nec iam vniuersim caritas, aut amicitia stat, sed in vno aut altero capite. quæ res noxia in primis Religioni est, exponitque corpus totum iniuriarum oppugnationibus, cum nudet latera, viribusque quæ totius corporis coniunctione continentur, spoliet, exuatque omni robore, quod mutuo vniuersim amore firmatur.

Maiora etiam ab his amicis mala quam ab inimicis metuenda sunt. nam cum ab his sibi quisque caueat, neque facile quidquam illis committat, quod ruborem iniicere possit, non habent metuendi causam. cum enim quisque se suaque sciat ab inimicis obseruari, insidias verbis rebusque tendi, nemo prudens poenitenda elabi permittit. accedit, hostium quæcunque consilia, benevolentia signa muneraque, ac iuratas etiam sponsiones suspectissima merito esse; vt in perpetuis verborum factio-

etorumque suorum versetur excubiis quis-
 quis hostes patitur. at ab amico aut perfa-
 miliari quis se tueatur? quis non intima re-
 ferat familiariori sibi, siue consilij, siue so-
 latij, siue leuandi mœroris caussa? è qui-
 bus ingentia deinde pericula damnaque
 metuenda sunt, ab offenso nimirum fami-
 liarioris illius animo. offensionem verò
 nasci è minimis etiam rebus experientia
 docemur.

Et fallaces ferè has familiaritates, dolo-
 soque cinere amicitias ex his natas tegi in-
 dies discimus. neque enim diutiùs perstât,
 quàm sperata partis cuiusque emolumenta
 ferent. vbi illa corruunt, collabascit om-
 nis amicitia, quam ferè quisque commo-
 do suo metitur. excidit spe sua, & frustrata
 est illum opinio, dilabitur omnis familia-
 ritas. ita qui nihil sperat, cùm nihil metuat,
 non faciliè aliorum venabitur amicitias,
 quas quisque bono suo venatur.

Ingens deinde hæ familiaritates, diuinæ
 familiaritati impedimentū iniiciunt. cre-
 das ingentia flumina flammæ extinguen-
 dæ iniecta. Et sanè quantum ferè amicitie
 hæ crescunt, tantum diuinæ decrescunt.
 quantum enim prioribus concesseris, tan-
 tum diuinis ademisse videris. occuparunt
 priores animū? occuparunt totum, Deum-

que exclusisti, cum illi locum nullum reliquum feceris, qui omnem prioribus concessisti.

Demum in carne ferè consummantur hæ familiaritates, desinuntque in mutuum commodorum, honorum, similibumque rerum connexionem. cum enim in talibus, non Dei maior gloria, non boni communis amor, aut proximorum salus, sed suum cuique emolumentum propositum sit; fit ut ab his paulatim quam longissimè recedamus, ac in sensuales plurimum familiaritates dilabamur. semel enim seposito Deo, alioque nobis sine proposito, toti per priuatorum commodorum præcipitia ad carnem sanguinemque diuoluimur.

Remedia.

HVmanum amorem nostrum diuino amore metiri, nec ab alio, quam à diuino principia illius petere, aut ducere; hinc fiet, ut cum in omnibus pares diuini amoris causas reperimus, pari omnes amore complectamur, pari que familiaritate ac beneuolètia, quæ amoris famulæ quædam sunt, in omnes feramur. Hæc certa, & falli nescia regula est, à qua quantum per priuatas

uatas amicitias deflectimus, tantum à veritate aberramus, mendacio iungimur.

Frequens in nobis detestatio omnium quæ Religionis propugnacula roboraque dissoluunt: cum verò inter prima priuata illa priuatarum familiaritatum studia sint; perfacile erit viro Religioso intelligere, quo loco illa habere debeat, qua cura ac sollicitudine vitare.

Aliquoties in anno meditationes hac de re instituere, cogitareque apud se sapiùs, religiosam familiam nobili musicæ harmoniæ meritò comparari posse; in qua vnus dissonantia vniuersam concentus suauitatem turbat & euertit, & ridendam aliorum auribus musicam propinat. facit hoc, quicumque harmoniacum hunc Religionis concentum priuatis familiaritatibus turbat.

Iuuabit etiam non assuescere paucis, sed promiscuè omnibus, maximè recreationis temporibus, eumque arripere, quem primum fortuna obuium dederit.

Proderit vetus illud sepiùs secum reuolere, Sic ama tanquam osurus, sic odi tanquam amaturus. quod in magna familiaritate locum non habet. amamus enim in illa tanquam semper amaturi; hinc committimus varia tanquam semper celanda,
tan-

tanquam semper amico . fallimur . nulla propè in humanis æternæ amicitiae sunt, quas leuissimus aliquando flatus dispellit, tanquam nubeculam coalitam validiores venti. Sanè nemo in erubescenda corruet, qui amauerit tanquam ofusus. neque enim tali poenitenda committeret, aut ad quorum propalationem erubescat.

CAPVT XVIII.

Familiaritas, & gratia quæ sita externorum Principumque virorum.

SP ECIE plerumque hanc ambimus animas lucrandi, & Religioni conciliandi, maximè viros magnos: reuera plurimum ad ea amore proprio impellente trahimur, magna ferè multorum offensione, æmulatione, odio, emolumèto propè nullo, errorum & lapsuum periculo magno, vt tam carè familiaritas hæc parari non debeat, Religionis nō rarò damno ingenti, nō minisq̃ illius fœda deuenustatione. Neque enim quidquam procliuius est, quàm inter Magnorum quæ sitas familiaritates verbo aut factò labi: quod vbi contigerit, vno non tantùm lapsu, bona laboresq̃ omnes sepeliuntur, vt illorum memoria

moria iam nulla sit, quasi vna potenti spon-
gia deleta, aut tanquam falce recisa sint;
sed grauis insurgit indignatio, quæ in vni-
uerſum etiam corpus transit, & tanquam
à Babylonia fornace, vicina, & latè etiam
posita amburit. vnius enim error ab in-
omnes, & delicto vnius plectuntur omnes,
ab vnoque indignatio nata totum corpus
amburit.

Et sanè tot in omni Religione, omnium
retro sæculorum docemur exemplis, vt
nullo alio magistro opus sit in terrorem &
cautelam: neque vigesimus quisque inta-
ctus ab hac aulica flamma pedem retulit.
Ita amburitur quisquis propius accesserit,
vt vix cineres referat, vel ignium vestigia,
sæpiusque in fauillas abeat, quàm in lenem
ustulationem.

Et experientia tot iam ætatibus doce-
mur, per rarios omnino, ea aut virtutis opi-
nionem, aut integritatis fama, aut pietatis
sensu, à Magnorum familiaritate ad Reli-
gionem rediisse, qua egressi fuerant: plu-
rimos etiam aulicam consuetudinem mi-
serando vocationis naufragio nobilitasse;
vt vix iam trigesimus charybdim hanc ta-
bula enatarit, fortuita potiùs, quàm præ-
prouida felicitate; reliqui irrespirabili hoc
profundo absorpti sunt.

Nec

Nec facile quemquam reperies aulicis
hiscè Magnorum moribus assuetum, qui
non ea retulerit, quæ vix annorum pluri-
morum deleri spongia potuerunt. Ita se-
mel Magnorum consuetudine delinitus &
assuetus Religiosus, vix affectum hunc nisi
cum vita aut infamia deponit. Iam ubi in-
ualuit illa nobilitatis prurigo, vilescit quid-
quid humilitatem, & instituti tenuitatem
sapit: atque hinc vocationis quidam con-
temptus nascitur, omniaq; displicent quæ
probata priùs; dulcia nimirum in amari-
tudinem, mella in fella, medicamenta in
venena versa sunt; & quæ antè adamabat
anima, in horrorem mutata sunt: exulat
candor, & pristinae religionis simplicitas,
evanuit pulsa sinceritas, veritas abacta est;
& pro his aulici mores, politica agendi
ratio, mentiendi libido, doli & simulatio-
nes subintrarunt. Nec mirum ea adhare-
scere quæ inter aulicas consuetudines in
dies teruntur manibus.

Fugiet hanc familiaritatem, quicumque
vocationem amat, qui præcipitia vere-
tur infelici, in omni quâ patet orbis Reli-
gione, exitu funestata: quiq; nullos ab
illa meliores, omnes propè deteriores exi-
uisse videbit; paucissimos integra nominis,
quam intulerant, æstimatione; omnes ferè
in-

ingenti eiusdem decoloratione. præterquam quòd ea res in Religione, magna non vltimarum æmulationum mater sit. nam cùm vident reliqui ambitioso aliquẽ conatu Magnorum familiaritatibus se implicare, domesticorumque consuetudini subtrahere, quasi viliorem sociorum consuetudinem ac conditionem auerfetur; in auerfiones etiam ipsi, adeoque & in odia decedunt, carpuntque iam etiam optima, cùm æmulatio inuidentiæque è captata magnitudine nata, religiosum alioqui peccatus occupauit: contingitque plurimum, vt, qui aliena sectatur, domestico excidat amore, ac Magnorum interim beneuolentia careat, vtrisque inuisus, aut sanè neutris probatus. E qua re mœror exurgit, & animo non satis Deo, aut cælestibus dedito melancholia exoritur, vniuersum internæ mentis robur emedullans, & quidquid est spiritus boni, radicitus excaudicans. Hinc languor, & spiritalium rerum omnium fastidiũ ac nausea: sibi que, aliisque demum grauis, miseram vitam trahit, finitque etiam miseriolem.

Sequuntur externorum æmulationes inuidentiæque; qui non ferunt Religiosos tanta Magnorum vti familiaritate. nec res ferè magis vlla in oculos incurrit, aut citatiora

tiora certioraque odia prouocat. tritum namque est, quæ consequi ipsi diffidimus, aliis inuidere. hinc illæ in æmulationibus euertēdi molitiones: quasi leniendo mœrori medicamentum sit alios deturbasse; mitiusque damna feramus, si socios nacti fuerimus. Huc accedit, Principum plurimum delicta familiarioribus ascribi. prudenter beneque se habet Princeps, Principis ingenio naturæque illius benignitati tribuimus; aberrat à probitatis regula, in familiarē illi Religiosum omnis culpa rejicitur. non monuisse etiam aut dissimulasse in his, fecisse est.

Sequuntur & reliquorum in Religione non minùs noxiæ æmulationes, imitandi nimirū hæc studia. hinc mille excogitantur viæ, non tritæ priùs Religioni, mille inueniuntur maioribus ignoti modi. cumque per nos, perque domesticos ad optata peruenire non possumus, externos in consilium adhibemus pudendæ ambitionis nostræ. quòd si nec hac successerit via, vertimur in indignationes, in detractiones, in euerfionē conatum alienorū. tantum potest æmulationi iuncta ambitio, nulli parcit, & in maximum, in optimum quemque citatiore fertur passu. nam in aliis æmulationum materia deest. nescit enim

enim æmulum paruo contenta humilitas, in magnis inuenit quod ambiat, quod æmuletur.

Ferè etiam in gentibus aulica hæc captata familiaritas adulationibus plena est: dum enim placere studemus, displicere nolumus, autorem venamur, offensionem fugimus. purpuræ proinde & gratiæ feruendum est. quare placitura dicimus, facimus, & ad omnem Principis voluntatem vela vertimus. cùmque vnicum studium gratiam parare, partem conseruare; modis ad hanc rem idoneis vtimur. quod cùm fieri non possit, nisi pleraque ad gratiam eant, liberum adulationibus campum aperimus, laxamusque indomito huic vitio liberrimas in omnem partem habenas: plus laxaturi si plus placuerimus. quæ res ad quàm indigna Religiosos propellat, nemo non videt. certè generosi spiritus hæc esse non possunt, non cælum suspirantis, non æterna cogitantis, non Dei sui gratiam ambiētis.

Omnis deinde in hac familiaritate, mōnendi libertas perit. quòd si in Principis confessorium Religiosus talis ascitus fuerit, quantis se induit conscientiæ laqueis Religiosa libertate deposita? dum mone-
re timet cuius gratiam venatur, cuius in-

B b digna-

dignationem veretur. & tamen ferè non monuisse hîc, deliquisse est, & Principis sui error in doctorem cadit. monuisse verò, non rarò excidisse gratia est. quid faciet? monebit? parata offensio est. tacebit? Deum habet iudicem. ita dum amittere gratiam veretur, silentio cauenda premit. grauius etiam est, dum, ne offendat, assentitur roganti, & laudat damnanda.

Periclitatur in his frequenter castitas, cùm inter aulicas sermocinationes ferè minùs pudica, & castis indigna mentibus intercurrent. Paupertatis etiam amor flaccescit, cùm plerumq; aliquid opum, commodorum, dignitatumq; etiam non cogitanti, affricetur. assuetudine enim ac quadam vitorum familiaritate ac consuetudine, etiam quasi nolenti, aliquid adherescere solemne est; quo magis ambient, & vltro se in illa coniciunt? Obedientia etiam vis vel vniuersim tollitur, vel magna sui parte minuitur; cùm vix talibus imperare Superioribus liceat, ne fors in offenso subdito, offendant Principem, exurgantq; patrocinatorum ac intercessionum molitiones: quæ vbi inualuerint, prostrata iacet obedientia, non facillè caput erectura.

Mon.
const.
c. 12.

Addit S. Basilius: *Qui maiorem in modum*
facu-

*secularium hominum amicitia delectatur, eaq; re assidue cum illis esse in colloquio cupit; is ex frequenti cum illis sermone, prauas eorum affectiones in animum facile insinuauerit, & mente rursus cogitationibus mundanis completa, à praeclara illa, quam erat ingressus instantia operis desciscet, & à se deinceps proscrip-
 ta vite spiritualis stabilitate, quem ex animo effuderat vite prioris vomitum resorbebit, atque adeò saucius tandem concidet, miserè confixus ab hoste. Et B. Ephræm: Qui conuersationibus gaudet mundanis, saeculum nondum se
 odisse ostendit. nam sicut qui ignem excitat flammam suscitatur: ita & mundana colloquia, passiones & affectiones prauas in corde monachi commouent. Et Dauid ab Augusta, Ordinis Minorum: Sape experti sumus, tam in nobis quam in aliis, quòd frequens exitus & conuersatio cum saeculo, & occupatio nimia negotiorum externorum, deuotionem mentis extinguunt, feruorem spiritus tepescit, forte propositum virtutis emollit, cor dissoluit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, tempus sine fructu expendere, verba otiosa multiplicare, iocis & trusis intendere, orationes prae-
 mittere. Et fortiter in terrorè B. Laurentius Iustinian. O quot tēporibus nostris fuerunt, qui
 tanquam ardentes lampades & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paullatim ex con-
 uersa-*

Tom. 2.
 paran.
 46.

Lib de
 discip.
 cap. 22.

Bb 2

uerfa-

uersatione secularium, & confabulatione tepere facti, ad pristina opera secularis vite miserabiliter redierunt! Et docemur à Seneca, vt non pigeat Religiosos imitari Stoicum factum ex se magistrum: *Nunquam mores quos extuli refero. aliquid ex eo quod composui, turbatur: aliquid ex his quae fugavi, redit.*

Signa verò animi in hac familiaritatis venatione non Religiosi esse possunt: si quis eo in illam affectu rapiatur, vt grauius molesteque ferat, si ab iis retrahatur; si maiore cura & sollicitudine illorum negotia, quàm quae Religionis propria sunt, suscipiat; si insciis Superioribus, negotia illorum amplectatur, doleatque sibi eorum tractationē à Superioribus inhiberi; si maiori conatu & studio viros magnos, Principesque sibi, quàm Religioni conciliet; si Religionis ministeria minùs speciosa contemnat, & indigna putet quibus se tradat, & implicetur; si paupertatē & obedientiam incipiat fastidire, commodique suis hinc inde quaesitis studeat; si Superiorum monita minùs æquo ferat animo, simpliciumque consuetudinē aspernetur.

Reme-

Remedia.

A Mouendi ab hac familiaritate quoscunque pronos in eam Superiores deprehēderint; aliisque occupandi & distinendi muneribus, minùs quidem speciosis, sed tutioribus minoriq̃ue periculo obnoxiiis: demum loco etiam mouendi, alioq̃ue ablegandi.

Proderit etiam aliquem è domesticis maximè spiritualement excitare, qui vltro amicitiam illius ambiat: quò securiùs eum postea, maioreq̃ue fructu monere possit.

Magna etiam cura in hunc inuigilandum erit Præfecto spiritus, qui ratione crediti sibi muneris, maiore auctoritate & pondere monere ac terrere potest, magnorum maximè exemplis, qui propè omnes à quæsita hac familiaritate ad sæculum & Ægypti ollas transferunt, infortunatoq̃ue ferè exitu vitam finierunt.

Nec erit inutile, retrahendi tales conatum, Principi magnifq̃ue viris elucescere: vt, si quid erroris postmodum intercurrerit, videant non frustra Superiores motos fuisse, & in illius auocatione laborasse, erroresq̃ue non iam Religioni, sed homini adscribantur.

B b 3 Ma

Malorum quæ ex hac familiaritate nasci consueverunt seria recordatio non parum proderit: ingentia pericula, damnaque accepta, finem deinde vocationis sue proponere alium omnino ab aulica consuetudine. Deum denique sæpe sibi ob oculos proponere, cuius seruitio Religiosus mancipatus, & à quo filiorum prerogativa donatus est. vt indignum sit tanti Imperatoris sacramento addictum, minoris se obsequio addicere, & ad inferiora demittere.

Lib. 8.
Confes.
sap. 6.

Pulcrum in imitationem apud Augustinum exemplū habemus de suo Nebridio. *Agebat illud prudentissimè, cauens innotescere personis, secundum hoc sæculum maioribus, deuitans in eis omnem inquietudinē animi, quem volebat habere liberum, & quàm multis posset horis feriatum ad quærendum aliquid, vel legendum, vel audiendum de sapientia.*

CAPVT XIX.

Affectus in parentes, in sanguine iunctos.

NEc postremum, nec contemnendum in Religione malum. damna namque à nimis prodigo in suos affectu, & varia

ria & magna sequi necessum est. fauemus propinquorum opibus ac dignitatibus, prosperiorisque fortunæ successibus. inde etiam operam nostram aut rogati impendimus, aut vtrò etiam pollicemur: & negotiis iam sæcularibus, quibus antè renunciamus, induimur & implicamur.

Accedunt non rarò ex infelici euentu, poenitendæ, & ruborem incutientes commendationes; fitque vt qui sæculo semel ac parentibus nuntium miserunt, plus illis, quam extra Religionem immergantur, magna sæpe aliorum inuidia, qui Religiosorum studio operaque parentibus se illorum postpositos vident; & inimicos illos non priuati tantùm, sed Religio patitur: ac non infrequenter ex amicissimis hostes parantur, cùm se priuatis Religiosorum propinquitatibus posthabitos sentiunt.

Crescit deinde obligatio apud eos, quorum operâ parentibus impetrata dignitas, aut quæcunque res alia: transitque hæc obligatio in Religionem, quam tanquam collato beneficio obstrictâ sibi arbitratur.

Et ferè videmus prodigum hunc in parentes amicosque affectum, totum in sæculi affectum ruere, exuto spiritali domesticorum, ipsiusque adeò Religionis affectu: vt omnis Religiosæ coniunctio-

nis æstus hac propinquorum alluione, tanquam vastissimi fluminis prolapsu, extinguatur. neque enim affectus hic propinquis tantum adhæret, transit ad opes & dignitates, ad eaque omnia, ad quæ studia illa cogitationesq; feruntur. Frequentatæ enim res sæculi, affectuum in parentes materia, nescio qua Religiosam mentem fuligine aspergant, ac tanquam sepia tingant. nam cum frequenter illa menti obuersentur, manibus etiam tangantur, non leuia sui relinquere vestigia, nemo prudentior mirabitur: imbibimusq; paulatim pro Religioso, sæculi spiritum & mores, tanquam lana imbrem, valida nubes, etiam amare incipimus, quod procurare non pudet, ambire etiam, & vocatione sæpe deserta, ad sæculi dignitates commodaque cogitationes flectere ac transferre.

Præeunt deinde tales exemplo suo reliquis, prouocantq; ad par in suos studium, & ad æmulationes Religioso indignas, ad alienationes etiam animorum; dum indignantur reliqui, improbantque has commendationes, effusumq; in suos affectum, cum semel mundo suisque mortui, salutem incumbere animarum, non suorum indulgere deberent amori.

E ni-

Enimio deinde propinquorum affectu, ferè in carnem & sanguinè Religiosi prolabuntur: vt affectus ille suorum de propinquo carnis affectum iaculetur, accendatque recludatque tot annorum cineribus reconditum impuritatis ignem; & plurimū ex his initiis ad illicita quæque ruunt, cum aut sororis, aut neptis, aut alicuius sanguine iunctæ, femineis ac mollioribus affuescunt colloquiis, liberioribusque prospectibus. dum enim non timent mala in propinquo sanguine, minùs cautè prouideque versantur: caduntq; non rarò propinquis hisce insidiis, aut sanè causam illæ præbent, pulso priore metu, puritatis custode, familiarioris cum aliis similis sexus consuetudinis: è qua celeri procurfu reliqua postmodum mala mortem allatura promanant.

Sequitur & aliud malum Religioni in primis noxium. facit enim frequentata hæc cum propinquis consuetudo, vt multa iam liberius in sinum illum Religiosi profundant; domestica dicta, facta consiliaque retegant: nec quidquam tam reconditum sanctumque, quod tantis affectibus claudatur. natrantur aliorum imperfectiones, animorum in hæc aut illa vitia propensiones; & hæc ferè innata qua-

dam naturæ propensione in maius tolluntur, virtutes deprimuntur: si quid dignum laude, extenuatur: si quid reprehensione, immensum augetur. atque hæc mulierculis sæpe committuntur, à quibus prope cursu, non sine insigni augmento abire ad alios.

E qua re & mala nascuntur plurima, quæ cuique obuium est videre: & tanquam iniecto fræno, aut compede, sperata reprimuntur bona: Religionis nomen minuitur: salutisque proximorum propagatio arctatur, dum illorum virtuti detrahatur, à quorum singulari industria, nominisque æstimatione magna salutis proximorum pars pendebat.

Et ut reliqua non terreat, terrere nos meritò debeant verba Domini: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Seuera omnino sententia. cuius erit, si non fuerit Domini discipulus? Nemo seruus potest duobus dominis seruire; aut enim unum odiet, & alterum diligit; aut vni adhaerebit, & alterum contemnet: non potestis Deo seruire & mammonæ. Hinc illa sponsi ad fidelem animam desponsandam *Psal. 44* sibi verba: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam:**

tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Magna prerogatiua animæ obliuiscens domum patris sui, vt concupiscat Rex decorem eius, deducatque illam in cubiculum genitricis suæ, fiatque illi sponsus, atque inter vbera illius commoretur, dignetur illam associatam iam sibi reginam & sponsam osculo oris sui.

Et verò quid sperari de Religioso potest, cui adhuc patriæ affectus inhæret infixus animo? non compatiuntur se mutuo patriæ amor, & Deus sponsus. illam si amas, destituendus sponsus est; hunc si vis sponsum, deserenda patria est. Acute Hugo Victorinus: *Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis autè, cui omne solum patria est: perfectus verò, cui totus mundus exilium est. Ille mundo amorem fixit, iste sparsit, hic extinxit.*

Lib 3.
Did.
erud.
cap. 20.

Remedia.

VT qui propensiores in propinquos sunt, non permittantur soli cum illis versari, sed adiungatur socius, linguæ & rerum intelligens, & spiritus boni.

Rarior omnino permittatur collocutio.

Interdicatur seuerè commendatio omnīs,

mnis, & si qua deprehensa, non permittatur impunita.

Mittantur ad ea loca, in quibus nulla commendationum harum commoditas esse possit.

Moneantur Superiores, vt diligenter dispiciant, ne quas aut ad suos scribere patiantur litteras, aut ab iis accipiant negotiorum administras.

Ipsi Superiores exemplo suis præeant, caueantque ab omni omnino propensionis in suos ostentatione; idque adeò prouidè ac seriò, vt nec verbo in hoc genere labantur: fugiantque, quacunque mentione iniecta, omnem harum rerum materiam, & apertè à se repellant.

Magnorum in Religione virorum exempla proponantur, qui omnem hunc affectum fortiter calcarunt, ac in se aliosque damnarunt, & ferè patria domo egressi remotissimè ab omni cognatione vitam duxerunt.

Iuuabit etiam pericula damnaque ab affectu hoc in non vltimis virorum nata proponere, vt horum exemplo propensiores terreantur.

CAPVT XX.

*Commendationes ad Ecclesiasticas, aut se-
culares dignitates*

In numeris permistæ periculis.

Quia dubiæ in impetratione, quòd si non succedant rogata, in nos plurimùm cadit indignatio; cùm arbitrantur per nos stetisse, quo minùs consecuti fuerint. ita ferè euenire solet, cùm omnia nobis ab vno pollicemur, cùm aut potentia, aut gratia fidimus, conatum licet omnem explicauerit; si frustrati spe sumus, in illum ipsum indignationem vertimus, & negata, aut non consecuta rei causam in patroni negligentiam conuicimus: è qua ferè opinione, nullo licet plurimùm fundamento nitatur, animorum nascuntur alienationes, & amicitia in odia commutantur.

Quia incertæ in euentu, & impetrati muneris administratione; vnde grauia timeri aliquando reipublicæ pericula possunt. quid, si se aperiant improbi, qui latebant mores? quid, si læsæ maiestatis criminosa? quanti conscientia exurgunt remorsus, verecundia? quanta pericula auctori & promotori? Ferè enim promoti à se delictis

licetis inuoluitur: ac licet magna innocentia tegatur, semper tamen in probatissimo vestigium aliquod liuoris aut vulneris manet: neque facile clientis à se notam patronus eluet, maximè in iis, quæ Principem, aut rempublicam tangunt, in quibus tanquam indomitis furentibusque fluctibus, aut tanquam infans montibus, rupibusue, sedibus ab imo diuulsis, non viciniantur, sed & longè positi vna ruina consepeliuntur.

Ferè aduersarios iusto Dei iudicio, commendatione nostra prouectos experimur, quod plurimis in vtraque dignitate Ecclesiastica & saculari exemplis doceri potest eo magis, quo plus sæpe operæ studijque impendimus. Nec mirū, viro hoc Religioso euenire, cum se extra modestiæ & regularum suarum limites extulerit. nam & illi ipsi, qui patrocina nostra poscunt, licet patrocina hæc probent; Religiosos tamen patronos non probant, cum non ignorent, longissimè à Religioso instituto sacularia patrocina abesse debere. vtuntur tamen ijs vt proditoribus reges; non amant, non colunt: timent magis, & potentiam hanc in alieno solo metuunt; amaturi, si in sacularibus refideret: in Religioso, cuius omne studium salus propria & proximorum esse

de-

debeat, oderunt veriùs quàm amant ridentque tacitè secum, tanquam frænos aëreos, iubamque leoninam in ouino vertice.

Offensio dein nascitur omnium illorum, qui se neglectos à nobis arbitrantur. Hinc pro vnus dubia sperata beneuolentia, plures inimicos paramus; quorum odia longè Religioni perniciosiora sunt vnus commendati fauoribus, ijsque plerumque incertis ac dubijs, ac in perniciem potiùs quàm subsidium tendentibus.

Graue etiam Religioni accrescit onus, cum pluribus eadem præstanda veniunt, maximè sanguine iunctis, amicis, aut qui tales videri volunt, beneficis, alijsque huius generis non paucis; vt tota iam Religio in negotiationis quandam curiam, aut patrocinantium atrium vertatur: nam cum nemo ferè in illa sit, qui non aliquem habeat clientem, aut amicum cuius commodis studeat, per facile videre est, quanta imminet moles à Religioso instituto alienissima. Vnde fit vt crescētibus paulatim commendationibus, quæ innumeram secum negotiorum turbam trahunt, elanguescat spiritus, dilabaturque primæuus ille rigor; & qui ad Deum, animorum salutem, Religionis augmentum ducebat, ad sæculi mores

res

res & imitationem deducat.

Grauiadein damna metuenda vniuersæ Religioni, cùm vnus factum errorque toti Ordini adscribitur. ita ferè euenire solet, vnus delicto plectuntur omnes: arbitris tanquam è paradisi traduce, crimina transire in socios; & quos sociavit amor, imprudentiæ colligari nexu, tanquam si vnus insipientiæ, temeritatis, arrogantia, vanitatis nota signentur omnes. virtutes nimirum singulorum, vitia omnium sunt. quare nemo alterius virtute coronatur, vitio vnus damnantur omnes. quo maior cura adhibenda est, vt ab omnibus, quæ quoquo modo in vniuersum redundant corpus, abstineant singuli.

In generatur etiã plurimorum animis politicis opinionio, cùm pluribus eandem dignitatem ambientibus, operam nostram addicimus: qui enim se vident frustratos, & vni de facto operam nostram impesam, veniunt in non immeritam politicis de nobis suspicionem: peritque omnis conceptæ æstimationis opinio, cùm tales iam non in Religiosorum, sed in aulicorum numerum referant; tantam in posterum verbis fidem adhibitori, quantam operæ compererint. Vnde nec in salutis negotio certam stat fiducia, cùm exemplo vno edocti,
aliud

aliud arbitrentur verbis exprimi, aliud mente contineri. quæ res vniuersam salutis animarum spem euertit & eludit, tanquam si aut vna falce quidquid erat messis futuræ demetas, aut vnus frigoribus ardoribus omnem torcularis spem fallas, aut vna denique nouacula omnem bonorum operum spem præscindas.

Accedit demum non leuis obligatio apud eos, quorum in commendationibus operâ vsi sumus; qui beneficium hoc non in vnum hominem, sed in totam Religionem collatum arbitrantur. Quare obstrictam se hanc putant habere, paria aut maiora expectantes, & cum tempus aut ambitio suadent, suo quasi iure poscentes: quibus si neges, cum beneficia acceperis, durum. nam & gratitudo quædam obstrictos nos tenet, & impensus in nos labor, fauorque iure suo paria deposcunt; aut si rogati operam negamus, præter ingratitude notam, animorum alienationes, odia quoque expectanda sunt, quæ in vniuersum Ordinem transfundantur.

Remedia.

OMnium vbique commendationum interdictio: nam si vel tenuem rimam, quocunque demum prætextu, illis aperue-

Cc iimus,

rimus, integra postmodum pandentur
ostia: serpit enim hoc studium, vbi inchoa-
ueris, ac instar cancri aut scabiei, ex vngue
ac capillo vno vniuersum occupat homi-
nem. dulce venenum, quod magnos etiam
viros à leuibus initijs, tanquam riuulis, in
ipsa commendationum maria impulit, è
quibus salua rate nunquam enatarunt: sed
neque subducere eam, cum vellent, potue-
runt: in altum enim prouecti, medios inter
procellosos fluctus, nequidquam littora
portumque spectarunt.

Seuera in transgressores punitio, vt &
ipsi desuescant, & alij terreantur, ne paria
audeant: quos enim pariauit delictum, pa-
riare & poena debet; imò grauiori poena
post primi punitioem, secundi transgres-
sore puniendi sunt. nam primo exemplum
deerat, vt aliquid excusationis videretur
posse prætexere, secundis nulla excusatio
reliqua est.

Exemplorum in infortunato ac infelici
euentu frequens commemoratio, qualia
in terrorem & fugam, siue domestica, siue
externa nunquam deesse possunt. obrui-
mur enim multitudine, nec quisquam vlla
memoria se illis miscuit, cuius non hinc
flammis ambustæ pennæ timenda po-
steris dederunt exempla, poenitenda-
que

que reliquerunt vestigia.

Damna periculaque Religioni è varia commendatione nata recensita iuuabunt.

Fuga etiam sæcularium negotiorum, ac inter Religiosos limites certa rigidaque arctatio: in id solùm intenti, operamque laboremque pollicentes, quod in salutem tendit animarū. quod vnum veri Religiosi est, reliqua tantum ab hoc spiritu absunt, quantum à proximorum salute recedunt.

Nulla cuiuscunque negotij etiam pij susceptio in scio Superiore; quem tamē ne nolentem in suam trahat sententiam inferior, curandum est: nam vbi precibus, tanquam armata dextrā, res extorquetur, magna simplicis obedientiæ pars deperit, raroque felici successu, res peraguntur: quin imò infortunato ferè exitu domum funestant.

CAPVT XXI.

Paupertatis neglectus.

CVM immemor quasi votorum suorum, quæ distinxerunt labia sua, ad opes & periturarū se rerum studium conuertit, incipiuntque placere, quæ generoso ausu contēpsit prius, admirari etiam & vo-

C c 2

uere

uere atque infectari, quæ forti calcatu pro-
triuerat antè, factus ex hoste amator &
laudator opum. miserrima planè conditio,
dum, quæ re ipsa pondera excussit, repetit,
& sub pusillo ingemiscere delectat, qui
vno iactu exonerauerat humeros sub
immani mole fatiscentes: eoque miserior,
quo minoribus implagatus detinetur, qui
vniuersa perfregerat retia, tanquam si pas-
serum laqueis teneatur, qui leonum pla-
gas excusserat.

Et sanè post ingentes sæpe thesauros nõ
semel calcatos, indignis viro reculis irreti-
ri, cõmiseratione dignissima resest: breui-
ario tenetur elegantiori, icuncula capitur
formosiore; veste delectatur hic laxiori, ille
strictiore, comptiore alius: vt meritò in ad-
mirationem rapiantur quotquot viderint
valentem antè & robore plenum imple-
xum inherere minimis, qui maxima diffu-
uerat tanquam plumas vento raptas, aut
festucas fluctibus illifas.

Magis etiam mirandum cùm magnus
ille diuitiarum cõtemptor, qui per iocum
& lusum magno impetu adlabentes, & va-
dique afflatas opes repercusserat, postre-
mis inhæserit reculis; post Philistæa nimi-
rum agmina æreasque diffractas portas,
Dalilæ fascijs, fæminea implexis manu.

Turpe

Turpe viro, magis etiam Religioso, maxime cum repudiata repetit, & amare incipit, quæ odisse didicerat. Infelix omnino infortunataque vicissitudo, è sæculi totius regnorum imperiorumque etiam cōtempore, amatorem nasci speratarum rerum, & adrepere ad ea, quæ valido antea impulsu, magna omnium laude, sæculo regni-que maior, vt Religioso cæloque indigna protriuerat.

Varia ex his sequuntur mala, dum ambire & amare Religiosus audet, quæ neglexerat prius, & sæpe veteranus commodis inhiare, quæ spreuerat tiro. hinc enim inquietudo nascitur animorum, nec quies menti vlla, donec optatis fruatur. Sed neque in consecutis statur. semel enim habendi admiffa auiditas ad noua deuoluitur; vt è minimis tanquam è semine ingentes succrescere arbores videas, latissimis postmodum ramis vicina quæque sterili sua vmbra obtegētes. nam & in exemplum & imitationem res hæc reliquos trahit, dū noxia emulacione priuatis quibusdā commodis suis student, amantque quæ oderunt antè: inde iam secreta prosiliunt consilia, & ab externis mutuamur, ad quorum nomen exhorrescebamus antè.

Decurritur deinde ad priuatorum com-

modorum studium, & dum ab amicis aut
pœnitentibus reculas emendicamus; li-
bertatem proijcimus, pro pulmento nimi-
rum primogenita vendentes. ingensexin-
de ex amissarum aut Superiorū voluntate
subductarū rerum priuatione mœorna-
scitur, crederes regno exutum regem, aut
amplissimis possessionibus sæculi possesso-
rem. Profiliunt ex his initijs integra mur-
murationū plaustra, & maiora iam audet
animus, tegitque necessitatis quodam pre-
textu, tanquam pulchro velamine foedam
proprietas sentinam. ingeniosa nimi-
rum ad vitiorum suorum tuitionem auidi-
tas, amorque proprius est: & qui antea ad
priuatarum rerum possessionem expaue-
scebat, nunc illam etiam tuetur, & sub-
dola ratiocinatione propugnat. & pluri-
mum auidam hanc proprietatis famem,
priuatorum honorum sitis comitatur, inci-
pitque Religiosus hac titillari & exaspera-
ri: & qui vltro pleno se sinu expandentem
gloriam repulerat, obuijs etiam fugientē
prosequitur vlnis; nec erubescit ad pro-
secutionem, qui prius erubescerat ad vl-
troneam oblationē. indiuiduo enim ferē
nexu opes & honor iunguntur; vt qui illas
amet & ambiat, honore delectetur.

Omnia deinde paulatim corporis com-
moda

moda irrepunt, amorque rerum harum totum occupat hominem: incipiunt displicere duriora, & quidquid seueriorem veramque religiosam disciplinam sapit. Accedit ciborum & potus auaritas, vnoque impetu tanquam ruptis aggeribus omnia corporis commoda inuolant: cibus proinde parcior potusque moderatior virtutum propere reliquarum vehiculum, pro minus ingenua parcimonia ac pro sordescente etiam auaritia habetur; prodigalitas & liberior in escam potumque profusio virtutis nomen sortitur: & auarus iam audit, quisquis mensas religiosa moderatione circumscribit, quisquis libidinum fomitem excludit, quisquis ignibus materiam subtrahit; liberalis vero quisquis prodigit parcenda, & animorum in saginato corpore flammam nutrit.

Accedit quod omnis paulatim pietas in talibus refrigescat, omnis Religionis amor congelascat, omnis disciplinæ rigor congelatur. nam cum in paupertate tanquam in fundamento omnis religiosi ædificij structura formetur; illa collabente, omnem necessum est reliquam structuram collabescere, nec rimas tantum ducere, sed vniuersim corruere; cum primus omnino gradus lapisque angularis, cui reliqua Reli-

giosa domus innititur, ab auri opumque contemptu originem trahat.

Iam cum Beati pauperes spiritu à Domino dicantur, non infelices erunt paupertatis supra omnes opes à Domino amatae contemptores, desertores, ofores, & quam infelices, illius in Religione postfacrata Deo vota, transgressores? ut merito

quidam dicat: *De radice peculiaritatis, vel amore pecunie gignuntur vitia haec: inobedientia, superbia, auaritia, contumelia, vana gloria, extollentia, voracitas, mendacium, luxuria.*

Matt. 6

& Turbat pacem cum proximo, subiicit hominem diabolo, auerit animam à Deo, ut nunquam feratur affectus quam de conseruando peculio, iuxta illud, *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* & pergit, *Rarò salutis remedia admittit proprietarius, à paruis ad maiora precipitatur, sub specie boni & necessitatis. è conquisitis bonis oritur displicentia sui status, murmurat, detrahit, iudicat omnes, transferre se cogitat ad tutiorem locum, sub colore profectus vitaticum putat sua apostasia insolenter respondere Superiori, quarit causas discessus, alios nititur deprauare.* & antè: *Inter fratres concursus & amica perstat consonantia fraternae caritatis, cum nihil habet vnus, quod non omnes. inter proprietarios rixae sunt, discordia, diuisiones. Res communes non sunt materia litis, sed cum*

quis

quis vult sibi appropriare, surgunt inquietatiua
 pacis, iuxta illud, Conturbat domum suam qui
 sectatur auaritiam. Ob hoc vitium Cyprianus
 Diaconum suum sepultura Ecclesia priuauit, &
 patres sepultura asini tumultandos voluerunt.
 quanto ergo magis punietur in inferno, qui sic
 punietur in mundo?

Paupertatis verò neglectores, proprio-
 rumque commodorum amatores vir ma-
 gnus fures vocat, & Achan, Ananiæ & Sa-
 phiræ comparat: latrones, quòd plurimos
 exemplo suo iugulēt: sacrilegos, cùm Deo
 in pauperibus data prodigant: proditores,
 cùm domesticos defraudent bonis: apo-
 statas, cùm abiiciant repellantq; à se pau-
 pertatem, cui arctiori vinculo, quàm ve-
 stibus locoque religioso astringuntur: ido-
 lolatras, cū auaritia, Apostolo teste, sit ido-
 lorum seruitus: mendaces & hypocritas,
 Spiritui sancto ad Ananiæ imitationem
 mentientes: plenos dolo & diabolo.

Remedia.

ACHRISTI primorumque Sanctorum
 exemplis petēda sunt: quorum si ali-
 quando gloriæ participes esse velimus, et-
 iam opum contemptu parari debemus.
 Christi sanè in Propheta suo verba sunt:

C c 5

Pau-

Psal. 37 Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.

Psal. 39. & Ego mendicus sum & pauper.

A recordatione seueriffimæ dictæ in Epulone ac diuitiarum sectatoribus sententiæ. & apud Lucam quanta interminatione insurgit? *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* &

1. Tim. 6. Apostolus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nocua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & insecuerunt se doloribus multis.* & Dominus: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum calorum. & iterum dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum calorum.*

Mat. 19 A frequenti opum ac cælestium thesaurorum, centuplæque redhibitionis & sponfionis recordatione. hinc illud; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorū.* & Iacobus: *Nōne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* & auxiliū apud Isaiam pauperi habemus: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculum ab aestu vt ingenti fiducia pleni, certam in vnum Deum*

Mat. 5. *Iac. 2.*

Isaia 25

Deum

Deum spem coniciamus, certi impossibile esse destitui sperantem in Domino, cuius hæc verba sunt, *Ego pars & hereditas tua.*

Num.
18.

A damnis passim, omni propè Religioni datis & acceptis à possessionum opumque coaceruatione.

Danda Superioribus hîc opera, nequid ad honestam religiosamque sustentationem desit, ne necessariis Religiosi destituti, ad paranda sibi illa animos studiumque conuertant. meminerint huius: *Liberalis & bona prouisio Prælati, omnium necessariorum: unicuique necessaria dentur sine exceptione personarum. ut quemadmodum sibi prouidere desiderat, ita & subditis: nam ex indigentia necessitatis, ex mala prouisione, ex tenacitate Prælati saepe oritur hoc vitium.* Caueant proinde Prælati, ne subditis occasionem proprietatis subministrent, vel necessaria subtrahendo, vel superflua admittendo.

Plurimum in hac, ut in omni alia re, Superiorum exempla prouiderunt; ne non necessariis abundant, ne superfluis stipentur, ne ad delectationem aut ornatum aut priuatum commodum rebus utantur, communibusque contenti, singularia deuitent.

Ea demum res ingens reliquis ad veræ paupertatis amorem irritamentum est: neque enim Superiore præeunte, quidquam facile

facile cuiquam graue videbitur: & sola sæpe erubescencia deterrebit subditos, pudorque è Superioris in paupertatem affectu collectus, ne ad maiora commodioraque manum porrigamus: nete ad sæculi opes commodaque, sæculi desertores circumspiciamus.

CAPVT XXII.

Singularia in cibo, potu, vestitu, reliquisque corporis commodis.

A Emulationum & murmurationum in Religione causa, ac dissensionum seminarium. nam si Superior hoc malo laborat, perpetuam sugillandi materiam præbet, eò magis quò omnium in illum oculi intenti; eoque nocentiùs, quò illius exemplum transit ad plures, seminaque in posteritatem spargit, prouocatque reliquos, viamque secuturis sternit ad paria aut maiora etiam audenda. sæpe enim, quò exempla desint, à noxiis abstinemus; at vbi præiis maiorū factis referatus est aditus, proni ad libertatem commodaque decurrimus: nec imitari pudet, ad cuius initia erubescimus; & cùm pudeat audire primum, in imitatione gloriamur.

Eoque

Eoque grauius hoc malum est, quòd non se intra primi transgressoris terminos cõtineat, sed singuli ferè aliquid adiiciant noui, hic in cubiculo, ille in vestibus, alius in cibo & potu, non nemo in omnibus; ac tandem in delicias & luxum, sæculumque totum res abeat. è quibus infelicibus iniitiis paupertas Religionis murus corrui, nudaturque; vniuersa Religio propugnaculo, exuiturque suis viribus, robore destituta.

Accedit ciborum hunc reliquorumque commodorum delectum, ipsis plerumque Superioribus grauem adgenerare molestiarum causam. nam cum in plerisque Religionibus perpetui non sint, fit vt munere defuncti, ægrè consuetis commodis careant; patianturque non postremas in illorum defraudatione difficultates, multorum ex in fabula facti, & acerbiorum irrisionum materies.

Si inferior malo hoc tenetur, sociorum in se æmulationes excitat, oblocutiones etiam, percutiturque ferè tot linguis ac iudiciis, quot capita in vna domo sociata habet. Iam exemplo suo ad paria prærogatiua reliquos prouocat, maximè eos qui meritis, laboribus functionibusque superiores, pares, aut non inferiores sunt. adolescentioresque etiam ad paria aliquando auden-

audenda incitat : neque enim quidquam in vtramque partem , vitiorum ac virtutum, maiorum exemplo potentius est.

Graues deinde tales Superioribus sunt, & plerumq; illorum conuictum auersantur, subterfugiunt oblatos, ac cum mœrore quodam patiuntur domesticos; dum aut negare non audent ne offendât, aut concedere non audent ne reliquos ad paria prouocent.

Quòd si Superiorum vnum beneuolum nacti fuerint, reliquos patiuntur aduersos; ita vt quod aut naturali quadam munificentia, aut priuato affectu cōcesserit vnus, negaturi sint alij. quæ negatio durissima in consuetis est. profiliuntque exinde omniū propè generum tentationes, tristitiæ ac mœrores, cor exedentes, ac murmuratorum integra plaustra. quòd si fortiter insententia steterint Superiores, non raro tabescunt tales, ac quasi emedullatis ossibus decinerefcunt; si grauiorum metu aliquid à constantia remiserint, fastidiosos patiuntur, ac vniuersæ familiæ pacem euertunt.

Iam quotquot commodis suis auidè, & supra quàm Religiosam modestiam, ac paupertatem decet inhiantes vides, eos ferè in carnem & sanguinem labi compè-

ries,

ries, ac in inchoatæ tandem vocationis desertionem. cum tepescat primò in his omnis Religionis spiritus, qui fomentis hinc tanquam iniectis puluinaribus suffocatur. neque aliud ferè certius signum est, languentis in vocatione, ac à primo feruore degenerantis animi. vnde ingens spiritalis nausea nascitur; à qua ferè vehemens flamma carni iniicitur.

Repugnat etiam hæc singularitas mutuo amori: qui paritate roboratur & crescit, imparitate subuertitur. ignorant filiorum discrimina vbera necessitati nata, vniusque patris filij prærogatiuam degeneratione nesciunt. nimirum quos vterus vberaque pariarunt, pariare debet amor. què minuit quisquis de prærogatiua ceteri desiderat; quisquis sub eodem patre matreque Religione, potiora sibi arrogat, aut concedi desiderat.

Illud verò mali huius magnitudinem auget, quòd superbiæ tanquam fundamento inædificetur. qui enim præ reliquis singularia ambit, plus sibi deberi quàm aliis censet: si consequatur, plus sibi merito suo cõcessum quàm aliis gaudet. singularis esse voluit Lucifer, dum parari Deo studuit: si in ordine reliquorum angelorum stetisset, æternùm stetisset. præroga-
tua

tua illum vota æternaturis flammis addixerunt.

Remedia.

A Superioris exemplo petenda, qui si fortiter intra consuetos se Religiosis terminos teneat; vel solo rubore reliquos continebit, terrebitque ab hoc parum Religioso conatu. Sanè si fortem in hoc genere se præbuerit, commodorumque contemptorem; non difficulter reliquos ab hac spe excludet, terrebitque ab illorum petitione. memor proinde sit illius Sapiientis: *Rectorem posuerunt te, esto inter illos, sicut vnus ex illis. vt nihil habeat, vel diligit pomposum, mundanum aut vanum, sed omnia quæ habet, Ecclesiasticam personam & statum suum deceant, & humilitatem ostendant: nihil in omnibus appareat, quod iactantiam vel curiositatem sapiat. non est enim humilis cordis indicium, curiosa querere, pretiosa affectare, excelsa ambire.* Et sanè indignum viro est cælestia cogitanti, ad quæ natus, ad vilia hæc se abiicere, & primogenita cum Elauultibus commutare.

*Bon. de
6. alis,
c. 6.*

Exempla hîc deinde omnium ætatum in omni Religione magnorum virorum valent: qui per calcata corporis commoda, ad magna claraque in terris cæloque

nomina deuenerunt. exempla etiam generosorum militum, qui vltro assuescunt duris, auersantur mollia, quibus vt corpora, ita & animi effeminantur. nescit mens ad magna se erigere, quæ vilioribus deprimitur.

Terrendi denique multorum magnorum lapsibus erunt, quicunque ad hæc auide aspirant. & admonendi gula dediti, ne in Greg. in eo quod escarum delectationi incumbunt, luxu- Pastor. rie se mucrone transfigant, & quanta sibi per p 3 c. 20 esum loquacitas, quanta mentis leuitas insidietur, aspiciant: ne dum ventri molliter seruiunt, vitiorum laqueis crudeliter astringantur. tanto enim longius à secundo parente receditur, quanto per immoderatum usum dum manus ad cibum tenditur, parentis primi lapsus iteratur.

Incommoda etiam frequenter ob oculos ponenda, quæ ex hoc singularium delectu sequi nata sunt: idque in publicis exhortationibus, conferentiis, ac priuatis etiam Superiorum aliorumque monitis.

Remediorum verò potentissimum est nihil vlli præ reliquis indulgere. præscindenda proinde omnis sub initium occasio est, ne serò remedia cogites postquam inualuere mala. in scintilla nimirum sua extinguendum incendium est.

CAPVT XXIII.

*Neglectus munditiei & modestie
religiosa.*

LICET mundities in omni exteriori cultu non sit Anachoretis, & ab hominum consuetudine ac familiaritate remotis necessaria; illis tamen qui proximorum saluti promouendæ student, perquam necessaria videtur. ne dum è sordium conspectu & odoratu in personarū fastidium veniunt, doctrinam etiam institutionemque contemnant. ferè enim certa sperari fructus spes est, placuisse. quicumque proinde ex instituti ratione ad aliorum salutem vocantur, munditiei studeant.

Nolo curiosiores vestium compositores, nolo capillorum structores, nolo facularem ambitum, moresque ad aulam compositos, ad externam benevolentiam captandam figulatos, ac quasi è capsa & acu prodeuntes, nolo ornatum luxus ac deliciarum indicem: munditiam volo grauitatis & interioris nitore ac munditiei testem. nolo sordes. neque enim sanctimonie aut solidæ pietatis hæ signa sunt: plusque non rarò fastus ac arrogantie in ex-

tremo quodam vestium corporisque neglectu, quam in curiosiore delectu est. mediocritatem tenuisse viri & virtutis est. non splendeat proinde, nec sordeat vestis, ut sine cultu culta sit, & dum paupertatem Religiosus amat, non amet sordes quibus fastidium nauseamque prouocet. sed neque exquisitiore compositione vanitatem signet. Sanè nec affectatæ sordes, nec exquisitus cultus Religiosum decent: hic delicias, illæ animum neglectum ac remissum, aut inanis gloriæ studium designant. nam cum ferè habitus hominem suum loquatur, sit ut exterior constitutio interioris animi indicium sit, tanquam si quis è vestibulo de domo sententiam ferat, è fronte oculisque mentem designet, è verbis pectus cuiusque recludat. non quòd hæc falli nesciant, sed quòd plurimum externi mores ingenium cuiusque prodant.

Qui ergo aliorum sibi salutem proposuit, vitiorum extirpationem, virtutum inquisitionem; nec fastum præ se ferat nec contemptum, ne suadellæ ostia claudat, ne sordibus terreat, horrore exanimet, molliore cultu aliquid de probitatis opinione amittat. virilem habitum more, quæ virtus deposcit, maturos, graues. Non

loquatur vestis feminam, sed neque sordes aut agrestem & inhumanam negligentiam aut barbariem aliorum oculis ingerat. nemo è speculo & crinali acu ad vitiorum odia, virtutumque amorem potens prudensque persuasor prodiit; nemoque facile in quæ voluit animos flexit benevolentia destitutus. cum ergo horrorem sordes, accuratiorque compositio mollitiem testentur; vtrumque prudens animarum auceps fugiet, media sectabitur, extrema deseret: nec fœda à se illuie reliquos terreat, nec munditiem tantum colet; sed vbi nitore in familiaritatem pellexerit, in virtutis amorem pertrahet.

Tota etiam domus nitorem præ se ferret, magis etiam singulorum cubicula: quorum concinna aut neglecta compositio, inhabitantis ferè animum moresque designant, compositos, incompositos. & incredibile propè est, quantum domus totius apta concinnitas externorum animos in admirationem & amorem trahat, quantumque sordes deterreant, ac in contemptum ducant: vt plerique è domestica compositio de incolentium moribus statuunt. magis etiam in Religione: in qua in minimo deflexisse magnum videtur, maximè cum ea innata omnibus opinio sit,

fit, ab interna animorum constitutione externa profluere, talemque cuiusque mentem esse, qualem mores factaque testantur, nec aliam. proditor interiorum mores sunt. neque certior internorum index reperiri potest, ut frons, oculi, verba, vultus, corporis iactatio, lentitas celeritasque incessus, modesta aut fordida, cultior aut neglectior habitudo totum hominem suum loquatur. etiam ipse odor nescio quid virtutum vitiorumque spiret. tetrum omnes auersantur, nimiam vestium fragrantiam, impurioris molliorisque animi signum designare arbitratur. Quid? quod inter prima tuendae valetudinis adiumenta munditia sit.

Dici deinde non potest quantum siue ad imitationem, siue ad persuadendum religiosa morum compositio valeat, vultus totius modestia ac maturitas, decens membrorum omnium compositio, frons serenior, oculi modicè deiecti, & verecundiam signantes, os genarumque pudorem testantes, manuum totiusque corporis seria maturitas. ut vel hæc sola ingentia non semel incitamenta fuerint vitæ melioris. potentiora nimirum ad suadendam facta verbis sunt, plusque potest muta morum locutio, quam fecundissima verborum

D d 3 flu-

flumina, diuite quocunque fonte manantia. ita non rarò plus Superioris aspectus ad seueritatem compositus quàm acerbiora verba potuerunt: vt lasciuior etiam quisque si in seueram maturamque vultus compositionem inciderit, comprimat meditados ignes, ac tanquam fulmine percussus cogitata recondat, & audaciæ furcursum pudoris freno retrahat: vt sola sapientis vultus castimonia satis sit ad valide procurfantes flammam restinguendas. credas integra superfundi ignibus flumina, ita momento sistitur omnis æstus, cùm in uerrecundos seuerosque maturosque mores incurrerit.

Iam ipsa oculorum casta maturitas, uerrecunda deiectio, quantas peccatorum occasiones tanquam falce secat? quantis contrà liberior illorum procurfatio ostia referat hostibus? quanti deinde omni ætate vno licentiore oculorum intuitu ceciderunt? quanti starent si steterent oculi littoribus suis cõtenti? quantos verò uentus mulierculæ curiosior circumspectio sub iugum misit? quot captiuas animas vna audacior oculorum iactatio in triumphum duxit? quanti æternis pascuntur ignibus, viuerent caloribus gaudiis, si proditor oculus non prodidisset animas? quanti denique

murus

mutuis oculorum propudiosis ignibus decinerati in inglorias fauillas abierūt? adeò ut vel semel aliquid vidisse minùs castum multorum annorum materiam suggerat. quid, quòd in omnem etiam ætatem? tantum potest prouida arctiorque oculorum cohibitio, tantum licentiosior peregrinatio. Idem de reliquo corpore dici potest, ore, auditu, tactu, incessu. quæ omnia si ad religiosam modestiæ regulam componantur, ingenti decore Religionem illustrant, magnamque sui admirationem amoremque prouocant: cum contrà lasciuior liberiorque ostentatio dedecus inurat, auctoritatem minuatur, probitatis opinionem tollat, speratamque animarum messem fallat.

Remedia.

A Superiorum in primis vigili, ac in omnem partem intenta cura petenda sunt, crebris monitionibus, cubiculorum singulorum totiusque domus frequentibus lustrationibus.

Anouitiorum serua institutione magnarum rerum pars pendet. ferè enim in omnem ætatem adhæret quod primis illis annis imbiberunt. seruo proinde ab ipso Religionis exordio excitandi erunt

D d 4 ad

Epist.
II. ad
Soph.

ad munditiei cultum & amorem, ad modestiæ admirationem & studium. quæ vna Bernardo teste, *ceruicem submittit, pontis percilia, componit vultum, ligat oculos; cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, firmat incessum, omnemque corporis motum ad exterioris etiam cuiusdam elegantiae normam, religiosamque compositionem fingit.*

Pœnitentijs deinde à sordibus deterendi, præmijsque laudibusque ad munditiam, decentemque corporis compositionem impellendi sunt.

Commodorum etiam è nitore, incommodorumque è sordido neglectu nascentium consideratione iuuari singuli poterunt.

Excitandum denique in singulis vehemens salutis proximorum desiderium, quæ res ad nitorem impellet, cum benevolentia ante omnia captanda sit illorum quorum saluti studemus: quam nemo sordidiorè neglectu ac cultu, & externo squalore nauseam prouocaturò parabit. honestatis enim pulcritudine ferè omnes capiuntur, munditia, maturaque morum consuetudine gaudent, & lubentes horum monita admittunt.

CAPVT XXIV.

*Sæculares mores, risus, ioci, minusve
religiôsæ recreationes.*

QVÆ paulatim animos ad se rapiunt, auocant ab instituti & perfectionis amore. Irrepunt hæc mala à leuibus primùm initiis ad summa, vt nihil iam præter nomen & togam in Religioso videas: mores sæculum non redolent, sed expriment. Et sanè qualem externo conuictu & conuersatione Religiosum videris, talem interiùs cogita. respondent interioribus externa, cùm hæc ab illis proficiscantur; vt meritò mentiri habitu Religiosum dixeris, qui sæculum moribus, veste Religiosum præfert.

Sed neque consistere vocationis amor cum sæculi moribus potest: exprimunt amorem mores. sæculum loquuntur? à sæculi amore nascuntur. amarent vocationem? amorem hunc mores referret. aliud ostentant? aliud amant. Neque certior index interni affectus est. nescit amor mentiri. prodit affectum, flammamque spargit, quibus intus ardet. vt omne iudicium constitutionis internæ, ab externis moribus

D d 5 fumen-

sumendum sit: neque enim alios testes habemus, non certiores, minusque fraudibus expositos. Deum quis loquitur? possedit animus Deus. vana inaniaque loquitur? possedit animus mundus. nemo è vase odorato vino pleno venena promit: nemo ex impuro fonte aquam puram, nimirum,

Matt. 7 rum, non potest arbor bona malos fructus facere.

Matt. 12 cere: nec arbor mala bonos fructus facere. & dicitur: Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. nec

Matt. 7 quisquam colligit de spinis uvas, aut de tribulis ficus.

Sequuntur ex his multorum offensiones, animorumque alienationes, conceptaque de Religione opinionis ingens diminutio. neque enim cum his moribus integra stare opinio potest, nec prudens de interno homine aliud iudiciū ferri, quam quod mores exprimunt.

Atque hinc illud sequitur, ut collapsa semel sanctimoniam aut sanctitatis opinione, exigua in sanioribus intercurrentibus monitis, fides resideat, fructus aut admodum tenuis aut nullus, totaque spiritualis emolumenti spes corruat: nemo illis paulo circumspectior arcana credat, neque facile animam committat; nemo prudentior ad virtutem magistris hos deligat, quos ad

ad sæculum moribus præire potiùs, quàm ad cælestia videt, nasciturque inde vetus illud, Exemplo præeat, qui docere volet: & Talem te finge, qualem alios desideras: Res monitis præluceant, facta dictionem ducant: Illudque in alio spera, non quod animo foues, quod verbis exornas; sed quod rebus factisque exprimis, memor grauisimæ censuræ D. Bernardi, *Inter sacu-*

*Lib. 2.
de Con-
sider.*

lares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemia.
Exemplo etiam talium in paria trahuntur reliqui, maximè iuniores; in quibus necdum ad viuum & radices, domita & excisa sæculi vanitas, leui hoc exemplorum flabello exurgit in arborem, veteresque inanium vanitatum fructus: & ferè quoscunque in moribus deprehendimus effusiores, & sæculum suum loquentes, illos postmodum vidimus, ab his infelicibus initiis, in carne prolapsos. præludunt enim illa carni & sanguini, viamque insternunt perituræ animæ.

Illud etiam ex his malum nascitur, vt tales plerumque domesticam turbent pacem, vniuersam disciplinã euertant, exemploque suo regularũ inducant neglectum, ac instituti denique totius contemptum: à cuius vniuersim placitis morum vanita-

te

te recedunt, cùm nihil aliud quàm sæculum sapiant, sæculum loquantur. nam ut nihil minùs cogitent; fit tamen ut vsu quodam, ac sæcularium morum consuetudine, tantum ab omni religiosa modestia ac disciplina recedant, quantum ad sæculi mores accedunt; tantumque religiosarum rerum neglectum inducant, quantum sæcularium morum adducunt. dum enim hos imitari discunt, amare etiam assuescunt, & in deliciis habere; unde fit, ut religiosæ modestiæ mores fastidio incipiant esse, nauseamque pariant animo sæculi moribus imbuto: maximè si à frequentatione, ut fit, altiùs infederint, & quasi in naturam abierint.

Iniuriam deinde Deo non leuem irrogare videtur qui linguam ipsi sacratam iocis verbisque non satis castis polluit: tanquam si quis nobilissimam gemmam sterquilinio contegat. cumque viuum Spiritus sancti templum Religiosus omnis sit, peculiari illi voto sacratum, quid arbitramur facturum, cùm dicata sibi membra ad sæculi mores transferri viderit? Angelos sane super vno peccatore pœnitentiam agente gaudere docemur. quid facient super degenerare à maiorum institutis Religioso, sæculi moribus implicito? magno
pro-

profectò aditersarius, qui circuit quærens
quem deuoret, gaudio repletur, qui sciat
viam per hæc ad quæcunque crimina ster-
ni, soletque se colloquiis hisce medium
miscere, cùm piis cordatisque se misceat
Deus. vbi enim duo congregati sunt in
nomine Domini, ibi ductor ipse auctor-
que colloquiorum horum est.

Signum verò hæc colloquia sunt repen-
tis & languentis in amore Dei. nam quis
amans non vtrò lubensque prorumpit in
amatam? imò omnis amans perpetuus in
amantis laudibus est. nam cùm ille pectus
vniuersum occupauerit, non potest non
verbis effundere igneum amorem suum
corde clausum. in illo eloquens est, in aliis
infans; verborum in reliquis inops, hîc di-
ues est; parcus in aliis, in his prodigus.
quanto verò ardentius amat, tanto prom-
ptior in illius laude frequentiorque est.
neque vnquam amanti materia deficit.
mare magnum amor est: nauigat illud
quicumque amat. deesse nauiganti aqua
non potest, nec amanti laudes: vt non
laudasse, non amasse; adeoque de amato
siluisse, non amasse sit. Certè sola ego illū
veste Religiosum arbitror, qui parcus in
Dei, prodigus in sæculi moribus ac laudi-
bus est. parcus non esset si amaret, & Re-
ligio-

Math.
12.

ligiosus esset si amaret . quare cū parca
in illis sit, nec amat, nec Religiosus est. iam
cū verba sæculum loquantur, veste Re-
ligiosus, animo non est. cū hunc alium
verba prodant. dictum olim: *Ex verbis tuis*
iustificaberis, ex verbis tuis damnaberis. nec
potest animus religiosus esse in ore non
religioso.

Et ferè quicumque in sæculi mores ve-
baque effusiores fuerunt, exuta tandem
Religione, totum sæculum induerunt. nec
mirum. induerant antè animo. nec po-
terat non totum se aliquando effundere
animus talis, neque diu habitu solo men-
tiri Religionem. quòd si qua necessitate
commodisque suadentibus in Religione
perstet, monstrum non Religiosus est, tan-
quam si quis capiti equino hominis adne-
ctat pectus; Religiosæ nimirum vesti ani-
mum, verba, moresque sæculares.

Remedia.

EX intenta Superiorum in omnium
mores vigilantia peti debent, ut in se-
mine suo occidantur hi mores, cū nulla
re maiora incrementa sumant, quàm Su-
periorum incuria & neglectu. Serio in ac-
curatam regularū omnium obseruationē
ia-

incumbat, qua vel sola mores componuntur, domesticamque disciplinam fortiter tueatur. Describit eam Bernardus: *Disciplina virtus est, qua corporis & mentis habitum componit, cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum.* Accuratè Religiosum instruit Hugo: *Temperanda est etiam facies, & modificanda in gestu suo, ita ut nec proteruè exasperetur, nec molliter dissoluatur. Sed semper habeat rigidam dulcedinem, dulcemque rigorem, secundum illud Ecclesiastici, Ex visu cognoscitur vir, & ab occurso faciei cognoscitur sensatus. Motus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enuntiant de illo qualis sit. quia per illud quod foris, siue bene, siue male agitur, interior animi qualitas intuentium oculis patèter indicatur. Idem: Disciplina honestæ conuersationis ex quatuor perpendi potest, ex gestu, motu, affatu & conuictu. gestus autem reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut incitatus. mollis significat lasciuum, dissolutus negligentem, tardus pigrum, citatus siue impetuofus inconstantem.*

*Epist.
113. ad
Sophiã.*

*De disciplina.
Mona-
chorum*

luuabit in primis, si Præfectus spiritus fortiter insistat componendis suorum moribus ad modestiæ regulam.

Proderit etiam, si iunioribus, & ad sæcula-

cularem profusionem propensioribus, misceantur in recreationibus potissimum viri graues; nec permittantur iuuenes à seniorum se conspectu proripere. habeant semper quem obseruent, cuius oculum vereantur, cuius exemplo ad modestiam componantur, cuius, quando necessum, monitis comprimantur.

Quòd si quis post varia antè nequidquã tentata, maiore remedio eguerit, semouendus ille ad tempus à reliquorum recreationibus ac consuetudine fuerit, ut affuescat modestiæ, alijque hac seueritate mores temperent. Neque enim amor tantum, sed verecundia & metus magnum in Religione momentum afferunt.

Spiritualibus etiam exercitijs extra consuetum tempus assumptis & imperatis iuari talis poterit, ut sæpius ea etiam per annum peragat, donec se reducat ad eam morum maturitatem, quam iure suo Religio postulat.

Proderit vehementer, antè omnem recreationem fortiter animo Religioso dignam recreationem proponere, post singulas verò breuissimè eas animo percurrere, cogitareque illud, *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Simul etiam tacitam

secum

secum cogitare altam animi pacem tranquillitatemque post religiose transactam recreationem, inquietudinem verò à vana recreatione insurgentem, malaque plurima quæ ferè recreationes has sequuntur; illudque magnorum virorum, Verbum leue in Religiosi ore blasphemiam esse, non quòd talis sit, sed quòd paulatim eò Religiosum ducat.

Vtile etiam fuerit, præsentem nobis Deum proponere, inspectorem, iudicem, præmiatorem. eoque modo recreationes omnes peragere, quo non illo solùm, sed & externis spectatoribus peractas vellemus.

Denique consultißimum fuerit semper aliquem è maturioribus domus iuniorum recreationibus interesse: ipsumque adeò Superiorem, quãtum occupationes ferunt, eo loco esse, è quo moderari illas possit.

CAPVT XXV.

Conuiuiorum frequentatio.

SI VE illa domi nostræ, siue apud externos instituantur, noxia in primis sunt. In te pescit enim his paulatim Religionis spiritus, qui cibi potusque magnam moderationem exigit, & ferè ieiuniis pascitur.

E e

Ita

Ita omni sæculo, quotquot arctius se Deo deuouerunt, ab insigni victus potusque moderatione initia duxerunt: quotquot verò laxata maiorum institutione, ad lautiores se mensas profuderunt, spiritum, quem ciborum continentia imbiberant, exuerunt, & ad malorum demum extrema delapsi sunt.

Et ferè pari, quo frequentantur conuiuia ardore, pari spiritus, aut tanquam flammis exeditur, aut tanquam flumine aut spongia eluitur; vt quantum accessit creuitque mensarum, tantum decesserit decreueritque genuini spiritus. ita augmenta decrementaque à cibo potuque, spiritus iam inde à primordio mutuatur. neque vnquam in benè pasto saginatoque corpore, & escis vndique stipato, religiosam mentem, & solius Dei cupidam reperies. Nō possunt simul stabulare Deus & mensæ. quantum concesseris vni, tantum necesse detrahas alteri. quare si quē videris in mensas proniorem, eum in spiritu comperies retractiorem: quoque plus quisque cibo potuque maduerit, hoc plus spiritu exaruit. vt delicijs emedullari ac enervari spiritale robur deprehēdamus. Nam cum ciborum potusque copia, tanquam oleo libidinum crescant flammæ; per facile qui-

uis videat, restingui his estibus internarum
 fluenta gratiarum. neque alia potentior li-
 bidinum materia, quam saginatum far-
 tumque cibus corpus. vt validissima volu-
 ptatum incentiua à cibo potuque nascan-
 tur. Et ferè videmus eos qui victus mode-
 ratione spiritu inceperunt, eiusdem libe-
 riore consuetudine carne consummasse: &
 vt nullus lapsus sequatur, minùs tamen ca-
 stæ narrationes, quales inter pocula nasci
 proclive est, potentibus tentationibus ma-
 teriam in omnem ætatem suggerere solèt:
 vt taceam ad illecebras femineum com-
 positum ornatum, mollia verba, lasciuien-
 tes oculos, quarum vel in medijs orationi-
 bus recordatio ingentes animo parit mo-
 lestias.

Sequitur hunc ciborum affectum, labo-
 rum fuga, otij amor. languescit enim ad la-
 bores corpus cibo fatigatum. colloquia
 deinde venatur & fabulas, risus, iocos, lu-
 sus, & quidquid sæculum de mensarum ac
 conuiuiorum apparatu promittere solet.
 sterniturque his via ad mutuas detractio-
 nes, quas ferè ex otio tanquam è fonte flu-
 mina promanare videmus. prosiliuntque
 tandem ex his liberiores locutiones, car-
 nem & sanguinem redolentes, castitatis
 omnisque puritatis hostes. inde etiam mi-
 nus

nus prouida oculorum custodia, blandior-
que prospectus, quam religiosam casti-
moniam, maturamque, seueritatem deceat.
itur demum ad verba libidine natantia,
parumque castas libertates, ac demum ad
malorum profunda. Nec mirum si duobus
his ignibus substructum corpus accenda-
tur, & appetere discat quod ignorabat.
neque sane quidquam promptius quam
duabus his potentibus flammis inarde-
scere.

Plenas etiam ex his videas Religiosas
domus emulationibus, dum paria concedi
sibi quisque contendit. & vt ingeniosa cu-
piditas est, modi excogitatur & inueniun-
tur, quibus impetremus quod volumus.
quod si praclusa via est, murmuraciones
nascuntur. cum enim quae prona haec cu-
piditas implacabili auiditate poscit, ne-
gantur, aut minus quam vellent prodige
largiuntur; exurgunt querimoniae & ob-
locutiones, in quas reliquos etiam facile
propellunt, eosque maxime, qui non infe-
riore propensione in cibum potumque fe-
runtur. plena etiam conuiuia reperias de-
tractionibus, cum familiare sit inter men-
sas poculaque; in alios incurrere, liberiusque
effutire silenda, aliorumque mores carpe-
re, dicta factaque improbare, damnanda
lau-

laudare, laudanda damnare. à quibus si Religiosus sibi temperet, domum tamen ea refert quæ aliis narret: nec crimē agnoscitur quod palàm inter pocula acceptum. nihil deinde tam sanctum tamque reconditum quod non deuo mat vinum, impatiens secretorum: publicanturque persæpe ea à quibus fama vitaque pendet. nesciunt secretum vina: adeoque publicasse illis gloria est, & candidi pectoris symbolum. etiam domestica suaque retegere mala, pulcrum.

Offensiones deinde externorum sequi proclive est: qui si Religiosos videant in hæc proniores, & supra religiosam continentiam in cibum potumque effusiores; non immeritò offenduntur, contemnuntque non delinquentes tantum, sed vniuersam Religionem, cum ex paucorum horum affectu reliquos metiantur. magis etiam, cum liberiora, minusque religiosa insonuerint verba, moresque læculum potius quam pietatem loquentes viderint. quod ferè inter pocula, in omni mensali deliciarumque profusione vsu venire videmus, vt immemores sui, religiosæque modestiæ, cibo potuque impellente, plus longè de mundi vanitate, quam de religiosa referant maturitate. quæ res & scandalum

lum parit, & nominis æstimationem minuit, & proximorum in primis saluti aduersatur. Et sanè prodigium sit in tãta prouocantium ciborum copia, vinoque prodigè propinato, modum statuere, ac se intra modestiæ ac continentiæ limites continere. dum prouocati veremur ne neglexisse videamur, aut honori detraxisse, aut amicitia minus concessisse, aut denique non satis affectui indulgisse.

Estque hoc huic vitio inditum, vt nulla moderatione exsatiatur, maioraque semper concupiscat: nec expleatur, donec insigni aliquo lapsu se nomenque suum dehonestauerit. sed neque hîc finis: vt oculis priuatos arbitrere, ita nec mala quidelicet grauia, in quæ inciderunt, vident, rapiunturque in dies ad deteriora. adeo difficile est modum in his statuere, vt etiam post præcipitia nouam quærant ruinæ materiam. Periclitatur deinde in his vehementer paupertas, cum in tanta rerum varietate, immemores illius, multa profundimus veriùs quàm vtamur, & appetere discimus religiosæ tenuitati ignota, desipiuntque domestica, & religiosæ mensæ quibus antè delectabamur fastidium pariunt. gustata nimirum copia inopiam detestatur, nauseatque iam animus super tenui

tenui cibo, qui per conuiuia lautioribus
assuescit.

Neque domesticæ in hoc genere men-
sæ, minùs quàm externorum noxiæ sunt,
maximè cum ad eas vocantur externi. nam
cum dignitatū illorum rationem habere
volumus, fit plurimùm vt religiosos trans-
grediamur limites, pulso modestiæ rigore,
effundimurque in apparatus sæculo ma-
gis, quàm Religione dignum. nec hoc non
rarò cum offensione etiam conuiuiarum.

Accedit talibus alios ad paria excitari,
& Superiorum exemplo ambire his simi-
lia, & imitari. Inde frequentantur domi
conuiuia, & repetuntur mensæ ab institu-
to alienæ. dumque his externorū gratiam
venamur, fit iusto Dei iudicio, vt illa exci-
damus: neque enim per conuiuia beneuo-
lentiam captare religiosum est.

Disciplina deinde domestica soluitur,
dum protrahuntur mensæ, Religiosi que his
occupationibus distinentur. iam dum in-
assueti talibus indulgent, & valetudinem
lædunt, & religiosæ obliuiscuntur mode-
stia, & inlatentes ignes excitant, vitia que
aliquando eruptura, lateque crescente
consuetudine damna datura.

Illud etiam in his non caret incommo-
do, quòd lautius habitati externi, domesti-

cis exin suis, aliisque mensarum apparatus referant, augeant etiam: ac præ se nonnunquam liberaliorem tractationem vultu voceque referant. quæ res & Religione indigna, & meritam offensionis materiam præbet, & plurimum æstimationis detrahit, & proximorum saluti, ac diuinæ gloriæ propagationi non leui impedimento esse solet.

Neque in vno alteroue stare hæc conuiuia possunt: nam cum plurimi sint, quibus aut obstringimur beneficiis, aut quorum opera nouè semper egemus; multi quid dignitate, opibus, nobilitate, amicitia pares videri velint, pares etiam inuitatione esse volunt. Concedis omnibus? quid non iure metuendum? negas vni, concedis alteri? sequitur de prærogatiua hæc indignatio, quæ etiam ad odia transit: vt aut omnibus concedendum, aut negandum sit omnibus. omnibus concedere, indignum Religioso. omnibus ergo negandum. & sanè quocunque te vertas, vix reperiri temperamentum potest. vnum enim admittere, altero neglecto non possumus. frequentanda proinde ac repetenda conuiuia erunt. verùm quis finis euntibus in orbem amicis, beneficiis, conuiuibus? crescentibus etenim illis, hæc etiam crescere

ne-

necessum est. quæ res incommoda quanta secum trahat, nemo paullò prudentior non videat: cum & vniuersam domesticam soluat disciplinam, modestiæque ac religiosæ castimoniæ mores, in vanos sæcularesque vertat; vt non iam vltra religiosam, sed externam domum præferat.

Tolliturque ex his pars maxima, in monendo ac suadendo, libertas. nam cum deuinctum te teneat conuiuator tuus, fit vt non parum de libertate decedat. veremur enim offendere cuius beneficio obstricti tenemur. displicere nimirum nolumus à quo mensale beneficiû accepimus, & erubescimus etiam in delictis monere, cuius munificentiam experti sumus. Misera conditio, pro tam vilibus libertatem vendere, imò pro tam leuibus æterna proijcere. nam cum ferè conuiuia remunerationis ac quasi mercedis cuiusdam loco instituantur, meritam hîc mercedem accepisse videbimur priuandi æterna. & plurimum conuiuio vno omnem se gratitudinis obligationē exsoluisse sæculares arbitrantur. noui nos Esau facti, pro pulmento primogenita vendentes. vt meritò ab Apostolo moneamur, *Sobrii estote & vigilate, 1. Pet. 5. quia aduersarius vester diabolus tanquam leon rugiens, circuit, quarens quem deuoret.* Sanè

E e 5 inter

inter vina ac lautiores mensas perfacile illi est exarmatum aduersarium ferire. ita cadit Amnon, Simon, Holofernes etiam muliebri manu: quo magis nos armata inferorum dextera. Et quam tentationem superabit qui deliciis succumbit? qui tam mollibus frangitur prostrerniturque, quomodo inter rugientes leones & hostiles acies stabit interritus? Indignum viro, magis etiam Religioso, vinci à vino; à tam molli, generosum pectus Christi toties sanguine delibutum, sanguine pastum. & terret nos Sapiens: *Cui va? cuius patri va? cui rixa? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? ne intuearis vinum quando flavescit, cum splendet in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

Remedia.

Moderanda conuiuia erunt, & tanquam iniecto fræno reprimenda, vi etiam coërcenda. sæpiusq; versetur animo, quare te Religioni dederis, sacraueris Deo. & illud Hieronymi: *Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat. Consolutores nos potius in maroribus suis*

*Epist.
ad Ne-
poian.*

suis, quàm conuiuas in prosperis nouerint ho-
mines.

In solidum si conuiuia amoueantur, tu-
tissimum erit. nam moderationem agrè
reperies, neque facilè ad mediocritatem
deduces: inexplibilis enim quædam con-
uiuiorum sitis mentem occupat, quæ se-
mel se ei dederit. Nec satiatur hæc auuiditas
concessis, nec expletur modicis. & tan-
quam spherica corpora, quæ supernè la-
buntur, non antè finem voluendi, quàm
præcipitij faciunt: ita animus semel hoc
malo possessus, nullum pronitati suæ finè
statuit, donec ad extrema deuenerit, vt fi-
nis illi sit, cecidisse.

Seriis pœnitentiis, monitisque grauioribus delinquentes auocandi sunt. Superiores etiam à functionibus amouendi, quorum exempla eo nocentiora sunt, quo singula eorum facta, domesticis posterisque non rarò documenta & prouocamèta in imitationem sunt.

Proderit, exemplis eorum qui omni sæculo à conuiuandi pronitate ad grauia delapsi sunt, reliquos deterrere. nec exempla deesse poterunt in omni Religiosorum Ordine, domestica tamen plus ad motum & terrorem poterunt, quanquam & externa in hoc genere iuuabunt.

Iuua-

Iuuabit considerare sapiùs, quàm paucis natura contenta sit, quàm modico fatietur. quanto etiam paratiores è tenui mensa ad magna surgamus, ad studia, consilia danda, imperia, virtutum exercitia, cælestium cogitationes, tentationum victoriam, hostium proculcationem.

Lib. 2.
in Iou-
nian.

Bene Hieronym. *Grãdis exultatio animi est, cum paruo contentus fueris mundum habere sub pedibus, & omnem eius potentiam, epulas, libidines, propter qua diuitia comparantur, uilibus mutare cibus, & crassiore tunica compensare. cità enim expletur natura necessitas. frigus & fames, simplici uestitu & cibo expelli potest.*

Eccles.
7.

addit: Sapientia operam dare non possumus, si abundantiam mense cogitemus, qua labore nullo & cura indiget. & monemur à Sapiente: Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij. caussa addit: In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & uiuent cogitat quid futurum sit.

CAPVT XXVI.

Munerum acceptatio, largitio.

NON magna hæc res cuiquam uideatur, maximè in rebus non magnis; grande tamen malum est, eoque nocentius.

tius, quo sub amoris ac benevolentiae testatione molliùs animo illabitur. antè nimirum venenum præcordia occupauit, quàm bibisse nos sciamus: neque enim ad animorum obstrictionem potentius quidquam in humanis reperias; vt vinculis iam tanquã validissimis compedibus constriatum teneas, quem muneribus quasi retibus implagast. Et verò certius etiam beneficiis hostem, quàm armis fregeris, faciliusquẽ inimicam mentem muneribus sub fugum, quàm ferro miseris. Ingens omnino vis munerum est; quæ seuerissimos etiam iudices, nulliusquẽ minis, purpura, ac ne propinquo quidem sanguine à recto bonoque flectendos, ab innata seueritate & æquitate dimouit. vt munus in iudice accepisse, propè vicisse sit. expugnauit nimirum arcem quamuis præualido præsidio inlessam, qui aurum immisit; perdidit, qui accepit. hinc illud Sapientis: *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiã; qui autem odit munera, viuet.* & illud: *Xenia & donaria excacant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptionem.*

Prou. 15

Eccli. 29

Et exemplis docemur omnium sæculorum, vt nesciam an validius aliud ad expugnationem in omni hominum genere reperiri possit. hoc prudẽtes sapiẽtia exuuntur,

tur, prouidi circumspectione spoliatur, docti eruditione destituuntur, continentes castimonia nudantur, fidentes spe sua frustrantur; amicitia labascit, deseruescit zelus, intepescit pietas, succidit fiducia, exarmatur exercitus, emedullantur robora, & quidquid terris magnum est, ad humilem descendit arenam. Ita quidquid in vnaquaque re summum est, si accesserint munera, deflorescit, vt exaruisse virtutem omnium credas ab horū tactu. quid: quod longè etiam posita improbo quodam afflatu venenent, vt vel vidisse noxium sit. bene Cassianus: *Oblatio muneris, tinea est regiminis.*

Si à Superioribus hæc nascuntur, nescio quo modo in mores vitamque illius nos trahant, vt etiam damnanda laudemus, imitemur.

Si ab inferioribus, credas tanquam falce præcisos disciplinæ neruos: ita intepescit rigor, & correctionis succiduntur genua. succedit simulatio, dum offendere nolumus, quorum beneficiis tenemur, aut à quibus maiora speramus.

Si à paribus, mutua marcescit correctio, dum indignum censemus Superiori in benefico socio nocitura prodere. quid: quod perfacile etiam in illorum mores eamus,
ne

ne videamur à benefactoribus degenerare? aulicos referūt mores? imitamur. obloquātur? addimus aliquid de nostro. detrahunt? probamus. in cibum potumque feruntur? iungimur socij. in risum, & sæculares iocos solvuntur? reddimus paria. liberiora, minusque casta proferunt? arridemus. nimirum ne silentio nostro dicta factaque illorum improbare videamur, decurrimus ad paria vitia: neue displiceamus quorum beneficiis irretiti tenemur, mores restringimus, & induimur ijsdem malis, vt dictorum factorumque similitudine placeamus.

Si ab externis beneficia accipimus, perit in monendo, consulendo, corripiendo libertatis pars maxima: nam & pretio illam benefactor emit, & nos vendidimus. minuit deinde veneratio auctoritatem, offensionisque timor magnam libertatis partem adimit, dum veremur ne monitione nostra elanguescat benefica manus, & exarescat donorum fons, monitis tanquam æstibus repressus.

Quid? quod ab eodem offensionis timore, & placendi studio, non raro improbanda probemus, probaque respuamus; vitia si non laudamus, extenuamus, placituraque etiam in sceleribus consilia damus.

mus. nimirum displicere nolumus, nebeneficiorum spe excidamus.

Quòd si à femina veniant munera, in priuatum maximè vsum vertenda, maius etiam periculū est. quoque hic sexus mollior teneriorque est, hoc maiora etiam damna metuenda sunt, & nescio quid etiam seuerissimis ac castissimis mentibus afflent tenerioris affectus. solaque non raro muliebrium donorum memoria, valentissimi ac religiosissimi viri pectus tanquā molli, sed potenti tamen iaculo transfodigit. & dum munera placent, incipit piacere donatrix. Ludit deinde in muneribus, tanquam in amoris quodā simbolo, mollior affectus. & illa antè mens, multorum sæpe annorum spiritalibus exercitationibus roborata, ac quasi in ferrum chalybemque versa, muliebriū donorum malleis concussa, fatiscit, succiditque paulatim, donec suauioris huius elementi frequenti stillicidio exesa & euigorata, in vagum puluerem cineremque dilabatur: & quæ nullis antè minis territa, non armis fracta, inuicta mundo & inferis steterat, mollissimis hisce femineis vinculis, omni ferrea compede firmitus tenetur. credas Samsonis capillum vniuersi roboris germen, muliebri manu demessum.

Huc

Huc accedit, non vna nos experientia doctos, aliquid aliquando in his muneribus diabolicæ latitasse fraudis; nec antè animo quieuisse qui acceperant, quàm à se dona propulsassent, tamque diu tanquam immanissimis sequeiisq; iactatos æstibus, ac quadam quasi flamma ac fornicibus inæstuasse, atque adeò arsisse totos, quamdiu muliebria hæc munera circumferrent: quibus vt primùm sese exuerant, resedisse tempestates, restinctas flammæ, & ad pristinam animorum rediisse malaciam & tranquillitatem.

Accedit, munera hæc familiaritatis ac fiduciæ cuiusdam maioris prænuntia quedam esse, nec pudet præeuntem sequi, neque ad colloquia iam illius erubescimus, cuius donis inhiamus. transitque iam talis aut in matrem si senior, aut in filiam si iunior est. inde licentior exurgit cõsuetudo, nec peccatum in tanta propinquitate veremur. liberiora hinc exuto pudore nascuntur imperia: neque ea dicere nunc veremur, ad quorum antè memoriam erubescibamus. Benè Hieronym. *Crebra m-*

*Epist.
ad Ne-
potian.*

nuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatos ac degustatos cibos, blandaq; & dulces litterulas sanctus amor non habet. Hac sunt incitamenta vel amoris retinacula.

Ff Exur-

Exurgunt denique ex his domesticorum
 æmulationes, externorum offensiones,
 vtrorumque obloquia & murmuratio-
 nes: & imitari delectat, quod damnari non
 videmus. trahimur enim commodorum
 spe, & rapimur in nocitura exempla. nec
 præcipitia sentimus, nisi in ipsis, serò in me-
 dio lapsu tutiora cogitâtes. antè oportuit.

Ingens prærogatiua apud Isaiam mu-
 nera detestantiũ meritò mouere nos de-
 beat, & calcar addere, ad seriam illorum
 detestationem: *Qui ambulat in iustitiis, &*
loquitur veritatem, & proiicit auaritiã ex
calumnia, & excutit manum suam ab omni mu-
nere; iste in excelsis habitabit, regem in decore
suo videbit. Armemus pectus hoc robore,
 quò sub his spongiis ferrum, sub hoc fano
 in latentia venena vitemus. mollia licet
 cula sint, & feminea læpe dextera missa,
 tincta perimente toxico sunt: vt tetigisse
 in mortem satis sit. Et sanè vel sola diuina
 la Prophetæ sponsio meritò mouere nos
 debeat, *Habitabit in excelsis, regem in de-*
core suo videbit. quid vel sperari aut vo-
 ueri poterat maius alterius sæculi felicitate
 tem omnem complexus est. habitatio æter-
 nitatem designat, visio in decore diuina
 nam fruitionem. vt omnia consecutus fu-
 erit qui munera excusserit.

Remedia.

Rescanda omnia hæc munera priuatis collata, maximè à mulieribus & pœnitentibus: quæ non vni noxia fuisse, experientia edocti sumus. dandaque opera, vt pœnitentes intelligant religiosis moribus vetita hæc munera esse, ac si quæ dederint, Superiorum iudicio pro cuiusque necessitate distribuenda. consultumque fuerit, alteri potiùs, quàm confessario hæc concedi. vt si materia ad vestes, similiaque corpori necessaria donantur, ea alterius necessitatibus impendatur. confessario verò, si egerit, aliunde prospiciatur. ingentes alioqui hæc res, præter recensita pericula, excitabit æmulationes, & ad paria à suis impetranda dona prouocabit alios. vel sanè abundabunt hi, egebunt alij; quæ ingens materia dissensionum est, & à paupertate, quam Religiosi profitentur, aliena, cuius nitorem non parum obfuscat.

Iuuabit non infrequenter secum reuoluere verba D. Hieronymi: *Nescio quomodo etiam ipse qui deprecatur vt tribuat, cum acciperis, viltorem te iudicat: & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te post-venerebitur.*

Ff 2

Pro-

Proderit in primis si Superiores exemplo suo reliquis præeant, excludantque à se quantum fieri poterit, omnem omnino munerum largitionem, aut in priuatum vsum acceptationem.

Pœnitentiis etiam proniores in hanc rem terrendi, si quando in horum aliquo peccauerint: nec parcendum hîc atque concessio eat in exemplum.

CAPVT XXVIII.

Adulatio.

INdignum in Religioso vitium, cuius omnes cogitationes debent esse caelestes, omne studium placendi vni Deo. degeneres sanè à vera Religione animos ostendit, quicumque se ad humana studiis quàm par est conuertit. facit hoc omnis adulator, qui in aliorum se effundit beneuolentiam, quam vt consequatur in omni se vertit formam. virtute non potest: virtutem mentitur. satis enim illi placuisse est. adeò si vitis placeat, vitia induet: & totum se in illa immerget, si nataste in illis, placuisse sit.

Quo magis vitandum malum Religioso est qui aliquid Christiani ac virilis animi

mi pectore clausum tenet. quid enim tam indignum Christiano ac Religioso quam mentiri, sine quo nulla diu stare adulatio potest? cum omnis illa mendacio vestiatur. detrahe vestes, mendacium & informis apparebit nuditas, ridenda non admiranda. neque enim aliud est adulatio quam perpetuis propè oratio vestita mendaciis. aut enim infra aut supra fidem adulantis verba sunt. dum enim placere studet, si laudibus aliquem capi videat, auget illas longè etiam supra verum, vt placeat magis: si nihil quod laudem mereatur reperit, è suo cerebro noua comminiscitur. quid? quòd non rarò, cum nihil præter vitia reperit, etiam illa ipsa in laude ponat, & damnanda probet. quo fit vt in maiora impellat scelera. laudasse enim hæc, ad paria aut maiora impulisse est.

Ingens vitium, quando in Principes & Superiores incurrit: quorum crimina improbamque vitam moreque laudasse, ad similia calcar addidisse est, & natura aut educatione ad illa properantes, grauius etiam propulisse est. tanquam si quem præcipitio vicinum iniecta manu protrudas, quò facilior proniorque lapsus sit. vt dictum verè, Tolle laudatores & magnam scelerum materiam sustuleris. neque quisquam

F f 3 facile

facile improbata omnibus aut aggreditur
aut iterat. laudem & propugnatorem cri-
mina poscunt ut repetantur. tolle hæc of-
fensa, ligna ignibus; & partem longe
maximam ademeris. Vera nimum Magni

4. Mor. Gregorij verba sunt: *Incessanter crescit culpa
cap. 25. favoribus nutrita. curari autem vulnus negligi-
tur, quod dignum premio laudis videtur. unde*

Prou. 1. *bene per Salomonem dicitur, Fili mi, si te laeta-
uerint peccatores, ne acquiescas eis. peccatores
enim lactant, cum vel perpetranda mala blan-
dimentis inferunt, vel perpetrata favoribus ex-
tollunt. an non lactatur de quo per Psalmistam
dicitur, Quoniam laudatur peccator in de sideris
anima sua, & cum iniqua egerit iniquus, ben-
dicunt?*

Suspectum proinde omni viro probum
hoc hominum genus esse debet: neque
enim illi tam animi sui sensus exprimunt,
quam voluntatibus aliorum subseruiunt
ac obsecundantur. mores ingeniumque
cuiusque obseruant, & quod cuique audi-
tu iucundum referunt. vera an falsa pro-
eodem habent: satis illis dixisse, placuisse,
quin adeo, ferè aliud sentiunt, dicunt aliud
ut probasse adulatoris improbasse, laudat-
se damnasse sit. si quem proinde videris in-
os laudantem, mente damnare cogita. al-
liud pimirum reclusum habet anima, aliud
de

depromit ore . ac sanè malè de te sentit
 quisquis coràm laudat; arbitratur enim te
 gloriæ nominisq̃ue quadam scabie teneri.
 profundit proinde laudes, eo copiosiores,
 quo maiori te harum pruriginè titillari ar-
 bitratur. non faceret si te virum putaret,
 si res diuino iudicio metientem, si æterna
 cogitantē, si reposita cælo præmia, si non
 ab humano doloso ore, fallaci dictione,
 sed ab omnium conscio Deo fallique igna-
 ro mercedem sperantem videret. Laudat?
 mollem censet, & ad præconia insurgen-
 tem, aqueum nimirum, facilem in bullam,
 in ventum, & ad omnem flatum vela pan-
 dentem. ludit proinde inter hæc amica ac
 votiuâ carbasa, & in omnem partem molli
 Fauonio impellit hanc ratem ignaram sui,
 discriminumq̃ue suorum. quæ eo peri-
 culis propior est, quo securior indormit
 his ventis, ludibrium paullò post futura
 fluctibus fera pœnitentia.

Comparari deinde meritò assentator
 omnis proditori potest, qui blandis & ad-
 dolum compositis verbis, diuite sponsio-
 ne, in insidias & fraudes impruidos im-
 pellit: medico etiam qui inani & falsa spe
 ægrum lactat, plusq̃ue bonarum valetudi-
 num spargit, quo vicinior morti est. Facit
 omnis assentator, ementitis incautos lau-
 dibus

F f 4

dibus in verarum virtutum opinionē trahit, damna tegit, pericula minuit, aut vniuersim tollit, eoque magis cautiussque, quo viciniore illis sunt. Magnus Gregorius adulatorū linguas locustis cōparat, quod omnem virtutum virorem adulatione sua corrumpant. Augustinus verò duo ait esse genera persecutorum, vituperantium & laudantium; plūs tamen persequi adulatorum linguam quàm persequentiū manum.

Moral.
31. c. 20.

In psal.
59.

Plenis etiam faucibus politicis adulator cōbibit, quem in eos maximè deo- mit, quorum gratiam venatur. cū enim virtutibus destitutus, factorū claritate nomen parare non possit, decurrit ad fraudes cōmune improborū subsidiū, vt quod probitate desperat, dolis cōsequatur. cū enim benevolentia alicuius sibi suisque rebus persuaferit cōmodam aut necessariam esse, quacunque illam via parare studet, veris nudatur, protrudet falsa. satis illi si optata consecutus fuerit, quocumque demum flumine deducatur ad hunc portum.

Noxium in primis Religioni genus, cū Superiores eos deliberationibus admovent, consiliorumque ac secretorum participes faciunt. cū enim ferè non è mente sua, sed è Superiorum voluntate sententiam dicant, fit vt non pro veritate, sed pro-

proponentium affectu consilia explicent, in eam partem prolabendi, in quam Superiorem viderint propensum. ita fit vt dum captandæ illorum beneuolentiæ insudant, sola placitura depromant. vnde fit vt malis remedia nulla admoveantur, ac nec nocitura quidem & in interitum ductura, Superioribus indicentur, displicendi metu. Hinc paulatim zizaniorum more serpunt neglecta mala, & mora vires sumunt, donec fera eradicationis spe terram late occupent.

Accedit, plurimum tales quæ hîc laudarunt, alibi damnare; quæ apud hos probarunt, apud illos improbare, siue innata quadam naturæ inconstantia, siue omnibus placendi studio. vnde fit vt nihil stabile firmumque sperari ab his possit, nihil illis tutò credi: proditori commissa quæcunque si è re sua futurum arbitrentur. nulli deinde ex vero amici, sed fortunæ cuiusque sunt, omnium se successibus expandentes, omnium subseruientes: tam faciles in prodicionem, quàm faciles in assensum, vt nulla illis fides adhiberi, nulla verbis fiducia possit.

Remedia.

Consultum erit suspectos assentatores
Comnes, ac pro hostibus ex insidiis in-

F f 5 sur-

furgentibus habere, familiaritate sua excludere, consuetudinem fugere. si inferiores sunt, pœnitentiis monitiſque frequentibus ab hoc vitio, indignitate ac foeditate huius proposita, arcere: per domesticum etiam confessarium, aliosque viros cordatos ab irreligiosa hac consuetudine auocare. quæ omnia si concurrant, non magno negotio euelletur hoc malum. vbi enim viderint serios vbiſque Superiores, qui assentationem omnem improbent, qui candorem ament, adulationem auersentur, qui sinceros & regia inambulantes via, familiaritate sibi astringant, reliquos negligant; facile se ad illorum mores component. quod si deserui se à reliquis viderint, optimorumque quorumcumque familiaritate destitui, alia longè consilia morèſque induent.

Iuuabit etiam tales si subditi fuerint loco mouere, & iis Superioribus subdere, qui ab omni assentatione alienissimi sunt: si Superiores sunt, à gubernatione amouendi, & aliis occupandi erunt. ne horum mores reliqui imitentur, & incipiat placere quod in capite ac ductore suo vident, & pro virtute vitium habeatur.

Proderit etiam frequens cogitatio incommodorū quæ ex hoc vitio nasci con-

ſue-

sueuerunt. Frequentata demde cælestium cogitatio, vnicumque studium placendi Deo: sic enim vilescunt humana, nec gratiam aut beneuolentiam captabimus hominum, solius Dei contenti.

CAPVT XXVIII.

Politica agendi ratio.

Quæ res ingentem diffidentiam parit, mutuæque alienationis vel inter primas causa est; maximè vbi hæc ratio innotescit, quam diu celare in tam varijs ductorumque factorumque obseruatoribus impossibile est. atque hinc perpetua quædam nascitur diffidentia, vt in illo quasi iusto metu, dum seu Superiores, seu inferiores detinentur, nihil sperari possit boni.

Nam si Superior hoc malo laborat, frustra genuinam conscientia rationem sperabit. nemo ad hunc vt ad patrem & medicum recurret. omnes vt minùs sincerù, & cui fidi non possit, aut secretiora credi, auersabuntur. contingitque illis, vt dum affectu plano sinceroque res tractant, fidem tamen non inueniant: quòd resecta semel politica agendi ratio perpetuam ingeneret suspicionem nulla arte eluendam. Agit seuerè? seueritate sua displicet. mollior & benignè? seueritatem his regi arbitran-

trantur, animumque alieniorem, & fraudibus dolisque vicinum. tegitur nimirum hoc cinere ignis, paulò post in flammam & incendia erupturus; integunturque pulchro hoc velamine nocitura venena, si quis propius tangat.

Iam adulationibus omnia plena videas, exulat candor, & è politico Superiorum ingenio, reliquorum finguntur mores: ut secularis iam Principis aulam, alienissimam à religiosa familia reperias.

Atque hinc in Superioribus imperia nascuntur sæcularia; in inferioribus ferulis obsequentia. dolis interim fraudibusque plena sunt omnia; & ille iam prudentissimus habetur, qui solertissimè socium circumuenit. veris falsisque rebus, aut calumnijs etiam ac criminationibus, iuxta habetur; res modò votis respondeat. solertia proinde, ac quadam sæculari agendarum rerum dexteritate, simulataque benevolentia, ac ementita sæpiùs pietate tota Religio continetur. verba amorem præferunt, intus aluntur odia. externa benevolentia animorum dissensiones, improbasque & Religiosis indignas æmulationes regunt, dum suis singuli commodis student, & per aliorum emendicatas extrinsecus amicitias, gradum sibi ad optata struunt. inani-

bus

bus plurimos pollicitationibus, vanaque
 speludentes; solis ferè verbis diuites, nisi
 qua parte aliorum promotiones votis cogi-
 tationibusque suis subseruiunt. Habes in
 hanc rem illud Gregorii: *Est speciale dupli-*
cium malum, quia dum peruersa & duplici
actione ceteros fallunt, quasi prestantius ceteris
prudenter se esse gloriantur: & quia districtio-
nem retributionis non considerant, de damnis
suis miserè exultant. audiant quomodo super il-
los propheta Sophonias vim diuinae animaduer-
sionis intendat dicens, Ecce dies Domini venit
magnus & horribilis, dies illa, dies ira, dies tene-
brarum & caliginis, dies nebula & turbinis, dies
tuba & clangoris super omnes ciuitates munitas,
& super omnes angulos excelsos. Quid enim per
ciuitates munitas exprimitur nisi suspecta men-
tes, & fallaci semper defensione circumdatæ? Et
quid per excelsos angulos, nisi duplicitas mentis
intelligitur? Dies igitur Domini, vindicta atque
animaduersionis plena, super ciuitates munitas
& super excelsos angulos venit, quia ira extre-
mi iudicij humana corda defensionibus contra
veritatem clausa destruit, & duplicitatibus in-
uoluta dissoluit.

Pass.
par. 3.
cap. 12.

Si inferior vitio hoc tenetur, omni apud
 Superiorem fide caret. nihil illi tutò cer-
 toque credet. verebitur omnia, nec vera
 dicenti fidem adhibebis, omniaque eius
 dicta

dicta factaque, licet à virtute profecta, in deteriore partem interpretabitur.

Quòd si vtrumque malum hoc possiderit, nusquam fides, dolis verò mutisque adulationibus plenissima reperias, conspirationibus etiam, fallacibusque in optimos non rarò machinationibus, quæ ad euertendos maximos etiam viros sufficiant. Neque interim inter eos qui politico hoc spiritu aguntur, certa aut fides, aut animorum coniunctio consistere potest: cum enim è suo iudicio metiantur alios, timoribus referta sunt omnia, verentur dolos quales animo se suo fouere sciunt, neque diutiùs externæ huic coniunctioni inhaerent, quàm commodis eam suis vtilem sibi fore persuaserint: quæ vbi consecuti fuerint, in aperta mentitus hic amor abit odia.

Signa in his vides animi, sibi ac virtuti diffidentis. qui si virtute excultus foret, nò descenderet ad has fraudes artificiaque: cum sat multa domi suæ nata ornamenta ad maiora haberet. quibus dum se destitutum videt, confugit ad hæc externa, & à sæcularibus mutuatur, quò se consiliaque sua tueatur. quo fit vt sola iam vestis Religionem, reliqua sæculum loquantur. exultat exinde omnis candor sinceritasque
reli-

religiosa, charitatis custos : succedunt fucata, pulsaque veritate è perpetuis mendacijs intertexta verba. laudant, assentiuntur, ampla promittunt; alia omnia cogitanda sunt, & sponsonibus aduersantia: vt laudasse, damnasse; sponpondisse, negasse sit.

Iam quid indignius viro Christiano, Religioso, (cuius vniuersa professio habitusque simplicitatem candoremque loquitur) quàm continuis contexta oratio mendacijs? parui hæc animi sunt, sibi que virtuti que suæ diffidentis. generosa mens antè vitam ponit, quàm illam mēdacio commaculet. nescit magni animus mentiri, pusilli & muliebris pectoris mendacia sunt.

Et meticulosos ferè hos, immites ac crudeles reperies, vbi rerum potiti fuerint. neque in vllos magis insurgunt ac sæuiunt, quàm quos paribus fallacijs ad maiora conniti vident, conscij fallaciarum animique sui, veriti ne paribus aliorum dolis circumueniantur & corruant, quibus ipsi iam antè non vnum in fraudulenta præcipitia impulerunt.

Scinditur hinc vniuersim mutua charitas: qua vna Religio omnis stare consuevit. nam vbi fiducia, candor, veritas exulât, mutuam etiam charitatem exulare necessum

Ecclesi.
28.

sum est. Hinc dura illa Sapientis imprecatio: *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbat pacem habentes.*

Nascuntur demum partium studia, & dum politico magis spiritu, quàm Religionis amore feruntur, solerti singuli prudentia illis adhærent & ablandiuntur, quos conatibus suis vtilis fore arbitrantur: reliquos negligunt ac contemnunt. è quorum neglectu ac cōtemptu parem in aliis neglectum, ac contemptum sequi proclive ac quasi necessum est: vt iam in partes totum descendant, in mutuas animorum alienationes, mutuorum consiliorum ac conatum subuersiones, in sociarum amicarumque sibi partium promotiones, alienarum depressiones. denique tanquam aduersaria ac inimica acie pro se quisque pugnat, ferturque in alios tanquam in iuratos conatum suorum hostes; ex infidelis tamen plurimum, quod proprium atque adnatum huic spiritui est: quæ si non successerint, ad aperta etiam arma odiaque decurritur. nec iam vltra Religio, sed inimica stant in vna domo, ac sub eiusdem Religionis signis agmina, eo nocentiora, quo magis domestica. nam ab extraneis non magno fors se quis negotio conatueatur, à domestico hoste difficile, ac
propè

propè impossibile est: cum mutuus conui-
 ctus, mutua colloquia, nihil propè tectum
 patiantur, mutuaque consilia priuati rete-
 gant parietes; vt omnia, etiam tutissima
 suspectissima sint, secretissima periculis
 plena, vt vix iam sibi ipsi quis credat. ocu-
 lata arbitrantur omnia, ac in cubiculi sui
 pariete thalamoque aduersarios verentur
 oculos. Sanè in vultu, mutuoque prospe-
 ctu profutura, aut nocitura legunt. tan-
 tum in omnem indagandorum consiliorum
 partem solertissima hæc valet improbitas:
Verba nimirum bilinguis quasi simplicia, & Prou.
18.
ipsa perueniunt usque ad interiora ventris.

Misera planè Religionis conditio, cum
 spiritu hoc semel imbuta, ac quasi posses-
 sa, veteri pulsa charitate, simplicitate, can-
 dore, politicis hisce statibus, tanquam flu-
 ctibus in profundum, ac interitum sui ra-
 pitur. quo magis fugienda ac detestanda
 hæc pestis est, ingentibusque animis in hæc
 mala insurgendum. nec superfedendum
 labori, donec stirpitis grande hoc malum
 euellatur, vt ne vestigia quidem spiritus
 huius remaneant quòd si euellendi mitior
 clementiorque desit via, ferro etiam sæ-
 uiendum, & partium sectionibus. ingens
 pietas est secare & vrere, nec noxiæ parti
 parcere, vt vniuerso periclitanti corpori

G g suc-

fuccurras: noxiaque è contra & crudelis clementia est, perituræ & noxia parcere, qua reliquum pereat corpus.

Exurgit demum ex his ambitio: nam ubi semel à politico hoc spiritu genuinus & primogenius subactus ac deprellus spiritus est, ac tanquam in languido quodam sopore consepultus iacet; nil reliquum est, quàm ut singuli ad prima quaque magnæque illustria in Religione munia contendant: ad quæ ut aliquando pertingant, captanda eorum gratia est, quorum fauor operaque utilis ad propositum sibi finem esse queat. quæ res ad indignissima quæque tales impellit, dum se variorum moribus ingeniisque & à Religione alienis accommodare coguntur, plurimaque seculis planè ingenij munia obire, voluntatibusque etiam aliorum non rarò parum religiosis morem gerere, ne nimirum alienos aduersariosque patiantur, quorum opera studioque in votorum suorum desideriorumque consecutionibus egere se arbitrantur.

Inconstans omnis politicus est, nulli certæ personæ aut rei inhærens. si commoda ferant, ad contraria prioribus vita propellitur, damnabit probata, iterumque laudata damnabit. idque in aeterno quodam metu

metu. *Possedit enim timor hypocritas.* cū *Isaia 53*
 iisdem artibus circumueniri metuat, qui-
 bus alios in fraudem impulit. Accedit per-
 petuus timor, ne fors in apertum doli
 erumpant, quos in tanta mutuo conuiuē-
 tium sibi ingeniorum varietate & solertia,
 diu tegere impossibile est. Et iusto sanè Dei
 iudicio, suis ferè politici capiuntur artibus,
 retibus implagantur suis, politicis suis,
 tanquam veneno, ense, fune suo. neque
 diu tales in alta pace esse possunt. *Gaudium Iob 20.*
 enim *hypocrite ad instar puncti.* nec potest
 ibi solidum esse gaudiū, vbi perpetuis ven-
 tis fluctibusque perpetuæ coguntur tem-
 pestates.

Similes politici sunt purpurissa & stibio
 formam mentientium. ementita enim
 verborum beneuolentia humanitatem
 amicitiamque mentiuntur, quibus crude-
 litatē & infidos tegunt animos: vt meritò
 quis dicat sepulcra dealbata, monumenta
 marmore tecta. retege, intus latent sordes,
 quæ pedore suo vicina remotaque com-
 pleant. Hinc grauis illa Sapientis intermi-
 natio: *Va duplici corde, & labiis scelestis.* *Sce- Eccl. 2.*
 lesta sanè politicorum labia sunt, quæ sub
 melle & saccaro venena tegunt, sub molli
 sponsia nouaculam premunt, sub roseo
 ore & labris virus iaculantur, sub lilio &

G g 2

viola

viola toxica recondunt. à quorum ore cadunt barbara illa verba, Si violanda fides regnandi causa violanda est. Et sanè nihil tam sanctum, quod mens politicis imbuta opinionibus non violet, si proposito sibi fini aduersari putauerit. suus enim cuique politico honor, emolumentum suum, pro summo bono est: minusque veretur offensam magni Dei, quam propositæ sibi rei frustrationem. ut iure detestetur hos Sapiens

Prov. 8. Arrogantem & superbum & os bilingue detestor. quæ ergo poterit esse spes hypocritarum.

Iob 27. Nunquid Deus audiet clamorem eius, cum conerit super eum angustia: aut poterit in Omnipotente delectari, & inuocare Deum omnipotentem?

Sap. 1. Fortiter Sapiens: Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum. neque habitare in eo pectore sapientia potest, à quo sapientia mater veritas exultat; neque Religionis in eo spiritus, à quo Religionis abest candor.

Eccli. 3. veri amoris symbolum. & verum illud: Qui ingrediens duas vias, non habebit successus. Grauiissima in omnem politicum communitio

Prophetæ est: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cum venierit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra saluginis, & inhabitabili. Benedictus

qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit cum venerit aestus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Pravum est cor hominum & inscrutabile: quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do unicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinventionum suarum. Quis ponit carnem brachium suum, nisi qui prudentiae solertiaeque suae fidens, remedia à diuina fiducia non mutuatur, sed à rebus prouidè callideque à se excogitatis: quibus innixus blandoque lingua ac oculorum lusu, reliquos in suam sententiam subdola inescatione pertrahendos arbitratur? cum ipse ferè iisdem artibus cadat, à diuina manu temperatis: neque enim permittet Deus altas illum radices agere. *Spes namque hypocrita peribit, & cogitatio illius sterilis: & si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.*

Iob 8.

Iob 15.

Sap. 4.

Remedia.

Nihil in humanis sperare, nihil veremur hinc probamus & laudamus passim quæ vel placent vel displicent ijs, quorum aut potentiam veremur, aut beneficia speramus.

Nullius gratiam ambire, ne placens studio à vero recto que deflectamus.

Deum, & vocationis suæ bonum, animarumque salutem in omnibus diebus factisque præ oculis habere: reliqua contemnere, hæc qui fecerit, stabit interitus nec ceruices linguamue gratiæ flectet nec à vero bono que minis aut purpura terribitur, aut præmio trahetur. Cogitet, maiorem se esse Christi sanguine, hereditate, præmio, quam vt tam illustrem animam assimilata Deo, aliorum contentiæ mancipet. à Deo solo mercedem speret æternitate commensurandam, talem se esse qualis illo iudice censetur, nec alium. nihilque ad demeriti meritiq; mensuram humanam censuram addere.

Iuuerit in primis harum rerum studiosos ab omni nobilium consuetudine arce- re. quod horum ferè familiaritate crecat malum: & ad ea loca muniaque destinare.

in quibus talium materia negata est. nec parcendum si quando in hoc vitio deprehensi fuerint. omnisque omnino talium familiaritas vitanda est. & ab ipsa adeo Religione tanquam pestes refecandi, quotquot huic vitio obnoxij sunt. si Superiores fuerint, remouendi in solidum ab omnimunere erunt, & aliis minus noxiis occupandi.

Proderit recordatio monentis & interminantis Sapientis omnem duplici corde:

*Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & Ecclesi. 1
non scandalizeris in labiis tuis. attende in illis,
ne forte cadas, & adducas animam tuam inhono-
rationem, & reuelot Deus absconsa tua, & in
medio synagoga elidat te: quoniam cor tuum ple-
num est dolo & fallacia. Et imprecatio magni
Regis: Disperdat Dominus vniuersa labia dolo- Psal. 11.
sa, & linguam magniloquam. addit minas: Di- Psal. 51.
lexisti omnia verba precipitationis, lingua do-
losa. propterea Deus destruet te in finem, euellet
te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radi-
cem tuam de terra viuentium. Monetque om-
nes Apostolus: Qui vult vitam diligere, 1. Pet. 3
& dies videre bonos, coërceat linguam suam à
malo, & labia eius ne loquantur dolum.*

Admonendos vult Gregorius Magnus:
*Vt quàm grauis sit, quem cum culpa sustinent, 2. Ast.
dupliciter laborem agnoscant. dum enim de- par. 3.
cap. 12.*

G g 4

pre-

prehendi metuunt, semper improbas defensiones querunt, semper pauidis suspicionibus agitantur. Nihil autem est ad defendendum, puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. nam dum falsitatem suam tueri conatur, duro cor labore fatigatur. hinc namque scriptum est, Labor laborum suorum operiet eos. hinc per Ieremiam dicitur, Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent, laborauerunt. audiant quod scriptum est, Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter. fiducia enim magnæ securitatis, est simplicitas actionis. audiât quod Scriptura testatur, Cum simplicibus sermocinatus eius. Deo enim sermocinari, est per illustrationem suæ præsentie humanis mentibus arcana reuelare. Cum simplicibus igitur sermocinatus dicitur: quia de supernis mysteriis illorum mentis radio suæ visuatiōis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.

CAPVT XXIX.

Aulici mores.

DVLCE Religionis venenum. Influxum hi ciuitatis & vrbauitatis prætextu, vt inurbani inciuilesque iam habeantur, ac rusticis moribus, qui aulica illa aspergine non sunt tincti, Religionis nimirum

toxi-

toxico, quo quidquid est genuini ac primigenij Religionis spiritus, suffocatur. Hinc illæ aulicæ compellationes, salutationes, scriptiones, relegatâ in vniuersum, ac quasi in exilium pulsâ religiosâ maiorum simplicitate, candore, veritate: in quorum locum succedunt simulationes, fraudes, politica agendi ratio, & è meris contexta oratio mendaciis, ad gratiam verba composita; putidifque narrationibus confertæ narrationes. præsentibus laudamus, mordemus absentes; venientibus magna benevolentia ostentatione occurrimus, amplexamur, stringimus, ad genua decrescimus, intus æmulationibus, inuidentia, odio natamus. rogati non tantum, sed vltro spondemus; nos nostraq; omnia aliorum obsequiis deuouemus, ac tantum non in seruos & mancipia sacramus, cum animus liuore stipatus, alia omnia cogitet, hostilitatemque magis dolosque damnaque, quam obsequia meditetur, aut vt quam mitissimè, nihil eorum quæ dicit cogitet: officiosis nimirum hisce mendaciis aures aliorum locupletamus. quæ res, cum hominem dedeceant, cui vultum erectum, verba mentem exprimentia natura dedit; tum minus Christianum decent, qui Christi nomine insignitus, etiam verba

G g 5 illius

illius moreſque nominis professione imi-
tandos ſibi propoſuit, longiſſimè ab aulica
oratione diſſentientes; minimeque in Re-
ligioſum cadere illa debent, qui habitu
reliquoque vitæ genere candorem ac veri
ſtudium proſitetur.

Hoſce mores ſive Superior, ſive inferior
induat, grande malum eſt; niſi quòd in
Superiore grauius: faciliùs enim ad alios
delabitur, & trahitur in exemplum. Inde
diſſidentia naſcitur: nam quis fidat hiſce
moribus imbuto, cuius omnia propè ver-
ba aliud volunt, quàm oratione promit-
tunt? quis illi conſcientiam vulneraque
retegat? quis decurrat vt ad patrem, quem
verba reſque aulicum loquuntur, non pa-
trem? quis volens lubenſque obſequetur
imperanti, cuius imperia non à Religionis
amore, ſed à deſpotica aulicaque ratione
nata videt, ac in eiufdem finem tendere?

Si inferior hiſ moribus tenetur, caret om-
ni apud Superiorem fide, nec quidquam
tutò illi credet.

Si vterque, mutuis fraudibus adulationi-
busque plena ſunt omnia. nec iam vltra
Religioſa domus, ſed mendaciorum offi-
cina exurgit; omniſque omnino Religionis
ſpiritus aulica hac ſpongia vniuerſim de-
letur; nec quicquam iam illius, præter ha-
bitum

bitum reperies rebus inanem: ac demum, pulsus virtutibus, aulica succedunt vitia; ambitio, adulatio, doli, detractiones, aliorum contemptus, odia, commodorum & dignitatum procuratio, otij amor, laborum fuga, vltimumque malorum caro & sanguis: neque illum diu castitas tutabitur, quem aulici possederunt mores, castimonia hostes, omnisque libidinis administri.

Et vbi semel religiosus spiritus non elanguit, sed aulicis hisce moribus pulsus, ac tanquam flumine extinctus est; quid nisi caro, & quæ illi coniuncta timenda sunt? nec potest in illo pectore diutiùs religiosæ puritatis instituti que sui amor residere, quod aulici occuparunt mores, castis piisque Religionum moribus è diametro pugnantes. *Quos rectè sepulcra dealbata speciosa exterius, sed mortuorum ossibus plena interius Veritas vocat. quia vitiorum mala intus contegunt, humanis verò oculis quorundam demonstratione operum de solo foris iustitiæ colore blandiuntur. admonendi sunt ut consideret, quia dum prauos se in occultis exhibent, sed tamen exempla de se publicè in bonis operibus præbent, ostendunt sequenda quæ fugiunt, clamant amanda quæ oderunt; viuunt postremò aliis, sibi moriuntur.*

Greg.
Pal. p. 3.
cap. 36.

Tota deinde conceptæ probitatis opinio
perit.

perit. neque hi mores latere diu possunt: in oculos incurrunt omnium iudicis ferendi. Et quis iam externorum talibus se familiarum, liberos, conscientiamque suam credat? quis Principum, nobilium, aulicorumque virorum, se suaque committet illis, cum è suis moribus metientur hos Religiosos? è sua fide illos? ut omnis omnino speratus animarum fructus depereat, cum similes sibi arbitrentur animo, quos oratione moribusque similes perspexerint.

Remedia.

INter prima, aulae aulicorumque fuga est. neque enim fieri potest, quin ex assidua illorum frequentatione non plurimum etiam aulici adhæreat pulueris: nam & non cogitantibus aliquid aspergitur, & nolentibus quædam ex continuo usu adrepunt. tantum familiaritas potest. Idem accidit in venenis. tange, & damna expecta. in vitiis omnibus idem reperies. ne vitæ, & obrepent quasi dormienti, magis etiam si frequentaueris, aut lateri illorum diu latus adiunxeris.

Si natura aliquem trahat ad aulam, imperio arcendus erit, pœnitentiis etiam, & seueriore disciplina, si contrauenerit. *ac ni
emca.*

emendatio accesserit, ad remotissima ab aulis loca destinandus, omneque illi litterarum cum aulicis commercium interdendum erit.

Si Superior fuerit, nec post frequentata monita destiterit, functione sua exuendus erit, & ad ea loca ablegandus, in quibus nulla nec ipsi, nec ipsius exemplo aliis aulica damna timeri possunt.

Exemplis terrendi eorum, quibus aulae aulicorumque consuetudo moresque omni propè saeculo exitio fuerunt, latamque ruinae causam dederunt; ut vix quinquagesimus quisque eum in Religionem retulerit spiritum, quem in aulam attulerat, domoque extulerat. quod in omni Religiosorum hominum genere reperies.

Exemplis etiam magnorum orbe toto virorum, qui aulam omnem, ut certam Religionis pestem, totis conatibus animisque auersati sunt. quod si illos necessitas ad aulicorum frequentationem aliquando coegit, subdixerunt se tamen, & aulicis hisce fluctibus eripuerunt ratem, non ignari in eumentita hac malacia, tempestatum. Nec mirum: sciebant enim ubi primum alterum aulae intulissent, praecipitio alterum proximum esse. ut mirum sit, tot magnorum exemplis edoctos, venari tamen

tamen Religiosos aulas, aulicorumq; imitari mores. Prudenter quicumq; hac prurigine titillatur, dum aulam cogitat, precipitia indiuiduo illi nexu coniuncta meditatur; dum mores prouocant, damna prospicit; dum externæ inuitât uenerationes, animos intuetur liuore & odio graues, & in sociorum ruinam paratos. Principum allicit fauor? scit dictum verè, Si benefeceris, leuior pluma est gratia: verbo si deliqueris, plumbeas iras gerunt. vt semel excidisse, æternum sit; & plurimùm sanguine, aut ingenti dedecore error lauandus est.

Denique quicumque Religiosus aulicis hisce moribus tangitur, pulsaturq; in sequelam, secum familiæ suæ non postremos viros recenseat, qui se aulicorū consuetudini moribusq; dederunt; videatq; an vigesimus quisque integra salute, nominisq; æstimatione pedem retulerit: memorq; illius, Quia me vestigia terrēt, perhorrescat ad aulæ nomen, fugiatq; illius mores, vt ense in iugulo inhaerentem, vt præcipitia lapsa abunda pedi, vt venena propinata labris, vt infelici propè omnium exitu signatos.

Proderitq; magnorum ruinas recreationum tempore frequenter recensere,
qui

qui ab aulicis moribus, ad calamitatum extrema deuenerunt, & inglorij vitam finiuerunt, uocatione plurimum deserta, in exemplum miserando ferè exitu posteritati dati.

CAPVT XXX.

Clancularia agendi ratio.

QUAE ubi innotuit, ut eiusmodi res diu latere non possunt, ingentem in Superiore ingenerant diffidentiam, suspicionisque præbent in omni genere varias, adeò ut nec in apertis quidem, & quæ nulla fraude teguntur, fidem adhibeat. Hinc animorum insequuntur alienationes, cum etiam subditus obseruat Superiorem hac diffidentia laborare.

Iam qui assuescunt talibus, non procul à ruina sunt: crescit enim hoc studium celandi res omnes Superiorè, & à leuibus initiis, & ab vnus generis rebus itur ad magna, & omnia: atque hinc machinationes clanculariæ, subdolaq; consilia sua tegendi ac explicandi rationes; & ut Superiorum oculos fugimus, ita paulatim etiam fociorum, à quorum conspectu nos nostraque subducimus. quæ res plurimum infelici exitu finiuntur.

Neque

Neque ferè quidquam aut Superioribus, aut sociis magis ingratum euenire solet, quàm callidæ hæ circumuentiones, ac simulatæ agendi rationes, fraudibusque tanquam nebula intectæ, cum alia omnia, quàm agimus, simulamus.

Nec quisquam facile cum eo coalescit, quem deprehendit occultis molitionibus inhærere; vt non iam Superioribus tantum, sed omnibus omnino incipiat talis esse grauis, fugiantque huius familiariorē consuetudinem: cum ferè tales quo magis consilia sua tegant, eo in aliorum vitam moresque diligentiores scrutatores, grauioreisque censores sint. omnibus proinde ingrati, sibi etiam cum perpetua hac tegendi sollicitudine graues, periculisque innumeris expositi, quid expectent, nisi inter hæc discrimina infauustum exitum?

Neque vlli maioribus aut fraudibus, aut periculis obnoxij sunt, quàm qui consilia resque suas tanto studio ac molimine Superiores celant. Nec erit hoc difficile in omni rerum genere ostendere, maximè vbi variæ tentationes animum pulauerint, & non leuia à talibus vulnera aut expectentur, aut data acceptaque fuerint; nec Superiori tanquam parenti & medico morbū retegimus. Quid enim

hic

hinc timeri aliud potest, quam è proximo interitus? Et tales ferè fidentiùs cum externis, quam cum Superioribus agunt; consilia sua aperiunt illis, celant Superiores, ac proinde magis iuncti sæcularibus, plus etiam referunt sæcularis quam religiosi spiritus.

Accedit, studium hoc vnum esse diaboli, qui in id vires, quas habet, exerit, vt ce- lentur noecitura, morbus tegatur, vulnera non explicentur, discrimina, & quidquid meritò timeri malorum potest, alto pre- matur silentio. Illud nimirum illi sæuendi commodissimum tempus est, cum quasi alto somno confopitis custodibus, nudata iacent castra, propugnatoribus viduata: quod fit, cum Superiores fiducia pleni, pe- riculorum, subditorum sibi, ignari, malis indormiunt.

Et sanè Superiorum etiam vigilantiam fallere perfacile est humani generis hosti, quando inferiorem ad noxiam taciturni- tatem, priuataque consilia induxerit. quæ res in vnius capitis discrimine non confi- stit: quærunt enim ferè tales, & inue- niunt eos, qui paribus tenentur malis; crescitque exinde è communicato no- xio consilio morbi malignitas, ac in ma- nifestam tandem erumpit pestem: se-

H h quua-

quunturque toti nonnunquam Ordini erubescenda. Ita à non magnis initiis ad maxima damna decurritur, & ad machinationes in instituti euerfionem natas descenditur.

Signum verò celandi hoc studium, inglorij & vilis animi est, cum per fraudes quærimus quod per virtutem qua caremus negatum est. sequitur familiare vitium, virtutibus suis diffidentium, mendacium, viro indignum; quo magis Religioso: ingens deinde inconstantia, iuxta illud Apostoli: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* qualem necesse est esse omnem illum qui per occultas machinationes res suas stabilire cogitat, serpentum more, qui se prius in latebras condunt, quam cogitatum virus explicent. Fugiet hæc vir *Eccli. 5.* Religiosus, metuens illud Sapientis: *Deuoratio pessima super bilinguem.* vt meritò talis desituatur à Domino, & in peccati pœnam, in interitum relinquatur. cumque infelici euentu callida consilia sua claudi viderit, mœroribus obrutus contabescat, miserrimamque per ærumnas vitam trahat. Et certè quicumque hoc vitio tenetur, cum necesse est, aut pertinacissimi ingenij esse, aut de virtute sua praudentis, aut de aliorum prudètia integritateque

que diffidentis, aut insigni fastu & arrogántia, aut aliquid machinari improbandum, quod latere vult alios, & in quo testem erubescat. quare & in perpetuo versatur metu, continuaque pulsatur sollicitudine, ne consilia prodantur, ne profiliat in apertum fraudes, ne retegantur doli. Sanè non nisi à Diabolo occultatio hæc consiliorum venit: tenebrarum ille & anfractuum auctor est, vt in fraudem incautos ignarosque malorum trahat: Dei consilia in luce versantur, noctem oderunt, diei amica, inimica tenebrarum sunt. amabit hæc quicumque Deum amat, certus ab illo nihil posse in fraudem & interitum nasci: fugiet illa quicumque salutem amat, certus à Diabolo nil posse in salutem proficisci, nihil sperari.

Remedia.

Seria in omnem partem excubatione in Superiore opus est vt si quid deprehenderit clancularia molitionis, ad radices excindat, quin adeò cum semine illas ipsas euellat. si quæ etiam secreta frequentiaque colloquia, & ab aliis semota, aut intempestiuis horis & locis habita, reseceat vt noxia, mutuaque animorum coniun-

H h 2 ctioni

ctioni aduersantia; eliminatque è domo sua quidquid clandestinas conuentiones sapit, quidquid à publico candore abducit.

Frequens cogitatio incommodorum, quæ ex hoc vitio nascuntur, maximè cum exempla nobis proponimus illorum, quibus hæc agendi ratio infeliciter successit.

Ex nostro dein iudicio si metiamur aliorum, facilis victoria erit, cum ob oculos posuerimus aliquem hoc malo tactum, damnabimus indubiè, fugiemusque illam consuetudinem perpetuas veriti fraudes. idem proinde nobis euenturum si cogitemus, facile ab hisce semitis pedem retrahemus. magis etiam iuuabit infelices horum exitus cogitare, damnaque ingentia ex hoc malo nata.

Iam si considerauerimus, quantis discrimibus hæc res obnoxia sit, cum propriis consiliis fidentes, vias decurrimus minus tritas, & Religioni aduersas, obedientie inimicas; non magno negotio malum hoc vitabimus. Neque enim in humanis quidquam ad fugam, vitationem & horrorem certius est, periculorum & incommodorum commemoratione. Quid enim grauius Religioso, quam semper in metu esse, ne consilia, quæ tecta desiderat, innotescant aliis, aut Superiori? quod vbi euenerit,

rit, ingens diffidentia in omnibus enascitur, quæ nulla post arte, aut candore eximi potest. Semel enim concepta huius rei opinio, propè perpetua est: vt ferè necesse sit loci mutationē cogitare, vnicumque ad eò propè remedium hoc est, quod à Superiorum, locorum sociorumq; mutatione sumendum est.

Fortibus deinde pœnitentiis insistendum erit Superiori, vt & delinquentes iuentur, & reliqui à similibus terreantur.

Cogitandum deinde sepe, quid sperari ex hac re possit, quid timeri. minimarum rerum spes, ingentium timor est. tutiora certioraque prudens eliget.

CAPVT XXXI.

Simulatio amicitie. Occulta odia.

Sapientis verba sunt: *Homo qui blandis fletissq; sermonibus loquitur amico suo, rete* ^{Proa. 29.} *expandit gressibus eius.* Indignum homine, ac multo etiam magis Religioso vitium hoc est, & aulicis moribus adnatum, nec aliud, quàm proditorium nomen meretur. execrandum omnibus, ac in vltimas terras ablegandum. neque enim parcat vlli, ac ne parenti quidem, quem hæc humanæ associ-

H h 3 cia.

ciationis fœderisq̄ue pestis occupauit. indignissimus Christiano nomine, dignissimus quem omnes præsentissimis venenis nocentiozem detestentur ac fugiant. nam quis huius fidei se suaue credat? & optator hostis est, qui aperta bella mouet, à cuius ferro tutare te potes. arma namque armis contineas, & ensem ense reprimas. à domestici hostis insidijs quis nos defensabit? maximè dum sub amico vultu hostilem tegit animum, sella vino miscens, & electibilibus quibusque cibis venena temperans. Cuius tanta prudentia est, vt in explicata benignaque fronte, ore ridete, blandè ludentibus oculis, inimicam mentem videat? Etiam sapientissimus capiatur his lachrymis, nec effugiet insidias mentientis amici. & vita hæc longè omnium miserrima est, cum nescias cui fidas. plena hinc omnia suspicionibus. nusquam exporrectus animus, & regia gradiens via. timoribus natant pectora perpetua anxietate grauida. nam aut inimicum præferunt ora verbaque & iusta timoris causa est: aut loquuntur amicum, & terrent te hostiles animi, amico velamine tecti. ita dum nupquam fides, in æterno versamur metu: pendula semper dubiaque mente, vnde moerores & melancholia quædam nascitur.

tur. Fraudibus deinde replentur omnia, mutisque cadimus insidiis. euanescit uniuersum Religionis spiritus, candidus & simplex, & in aperto ad lucem habitans: succedunt doli, auarici mores, incerta consilia, nebulae ubique & densae noctes, & nouacula spongia tecta. Et sanè verissimum illud Sapiētis est: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* illa in salutem, hæc in mortem eunt.

Prou.

27.

Si inferior morbo hoc laborat, præcipitia sibi, damna Religioni parat: neque enim talis ægritudinem suam explicabit Superiori, aut ægram reteget mentem ruinæ proximam. unde fiet, ut imperaturus sit illi Superior, in interitum illius, & in Religionis totius dedecus itura. quòd si in latetium sub benigno vultu odiorum cognitionem Superior venerit; ingens animorum nascitur alienatio, auersaturque hunc ut familiæ pestem, ut Religionis portentum, ut domesticæ pacis turbatorem, alienæ virtutis osorem.

Si Superiorem malum hoc occupaue- rit, misera inferiorum conditio est. non tuto illi quidquam, aut tanquam patri committi potest. & quis sua credet hosti? suspecta deinde illius verba, consilia, imperia, dictaque factaque sunt omnia. consequi-

turque vt ne quidem cum verum dicat, sinceroque patrioque suos prosequatur affectu, fidem inueniat; cum semper vereantur, ne verborum blanditijs odia, & hostiles integantur animi.

Plurima deinde mala ex hac simulata & ementita amicitia profiliunt: mutuorum hinc dictorum factorumque nascuntur obseruatores, grauesque censores, occulti nominis boni famaeque detractores, secretorum violatores, domesticae quietis turbatores, odiorum seminatores, infidarum mentium auctores, oblocutionum & in Superiores conspirationum propugnatores, ducesque ad illa, alienae virtutis improbi aemulatores, ingratitude principes & ductores. Inde fit, vt omnium a se animos alienent, odia prouocent; nec minus hos quam certam Religionis pestem & venena auersentur; fugiant vt mutuae charitatis hostes iuratos, vt amicitiae proditores, vt violatae coniunctionis incentores, inuidentiae impulsores, vt Religiosiorum fallaces substructores & euerfores, omniumque prope malorum causam.

Prou. 3. Grauitet in hos insurgit Sapiens: *Nemliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam: quia abominatio Domini est omnis illusor. & cum simplicibus sermocinatio eius.* Fortiter

ter in hoc vitium quod Israël occupauerat insurgit Ieremias: *Unusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habebit fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulentè incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur. docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent, laborauerunt. habitatio eius in medio doli. sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est in ore suo: pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. nunquid super illis non visitabo, dicit Dominus, aut in gente huiusmodi non ulciscetur anima mea?* Cap. 9.

Remedia.

A Seuera in tales punitioe petenda sunt. Nihil hinc parcendum. functionibus omnibus excludendi, vilissimis occupandi; seriò monendi, proposita delicti huius fœditate. ablegandi ad probationis domum, ut nouum à Tironibus spiritum hauriant. A familiaritate illorum reliqui deterrendi, iuniores maximè, quorum molliores animi facilè hac contagione capiuntur: dandaque opera ne quis illis familiaris adhæreat. irrepunt suauiter, nec antè venena sua iaculantur, quàm al-

H h 5 terius

terius obstrictam sibi mentem teneant. in-
itiis proinde resistendum, & præscinden-
da omnis consuetudo est.

Qui verò malum hoc ab alio patitur, si
decurrat cum magno Iob ad Dominum,
sequaturque in omnibus consilium illius,
errare non poterit. habet enim magnum
Iob 12. ex se doctorem: *Qui deridetur ab amico suo
sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum: de-
ridetur enim iusti simplicitas.*

Iuuabit priuatis monitis proniores in
hoc malum seriò seuerèque monere; mi-
nis etiam adhibitis, grauibusque in trans-
gressores pœnitentiis, quò & emendentur
præuaricatores, & reliqui terreantur.

Quòd si eruperit malum, & in reliquo-
rum domesticorum cognitionem venerit,
arcendi ab aliorum familiaritate erunt,
excludendique à reliquorum consuetudi-
ne. palamque grauiter in hoc vitium insur-
gendum, damnis propositis.

CAPVT XXXII.

Secretorum violatio.

INimica hæc omni bonæ gubernatio-
ni est, ad quam necessaria est tenacissi-
ma secretorum obseruatio: cuius violatio-
ne

ne res ferè maximæ, regnaque perierunt integra: vt meritò quis dixerit, euertendis imperiis rebusque natum malum. Ita hostilium consiliorum cognitio inter prima feliciter imperandi documenta meritò ponitur. hinc etiam secretorum violatio inter maximè imperiis noxia, & inter læsæ maiestatis crimina adnumeratur.

Neque potest diu feliciter gubernatio consistere, nec fortunato terminari exitu, quæ tacenda prodit: planè vt nihil sit tam inimicum bonæ gubernationi, tam pestilens, quàm silenda vulgare; cùm vna sæpe agendarum rerum prosperitas à silendorum tenacitate dependeat. Vulgasti perit benè gerendi rei occasio; & elapsa non rarò manibus præda est, verbo vno aut altero intempestiuè prolato: imperiaque non postrema iacent, ad cineres in ludibrium magnorum improvida secretorum violatione deducta.

Neque vllò modo ad gubernacula ad-mouendus, qui femineo hoc vitio laborat. Viri est frænos linguæ iniicere, laxare mulieris. & antè vitam ponere, quàm concredita retegere, viri est imperio nati: effutire commissa, muliebris ingenij est, & ad colū & acum nati. Nam quid ab eo speres, cui nihil tutò credi potest? qui cōsilia in fronte,

te,

te & manibus ferat? parêre fòrs poterit, imperare non poterit. Verum nimis illud
Pron. Sapiens est: *Sicut urbs patens, & absque mu-*
 25. *rorum ambitu, ita vir qui non potest in loquen-*
do cohibere spiritum suum.

Nulla deinde sincera reddendæ conscientia ratio sperari potest: à qua tamen vna, magna pars bonæ gubernationis pendet, vt sine qua prudens tutaque gubernatio non diu consistere possit.

Nemo deinde cuiquam tutò quidquam credet, nemo vulnera, pericula, morbos, malaque sua aperiet: nam quis arcana credat, animique vulgãdos morbos? quis quæ sæpe pudor vel cogitare erubescat, vt quorum vel memoria sine rubore non transeat, euulgatori committat? vt iam in omnium oculis versetur, quod proprios etiam oculos pertimescebat. & imprudens meritò habeatur, qui abdita mentis pectorisque illi credat, de cuius silentio merita suboriri dubitatio potest.

Sed neque solida vlla amicitia stabit, nullus amor vitio hoc imperante: cum omnẽ mutua benevolentia fiduciam tollat, cui amor omnis innititur.

Occasio deinde non vltima, secreti violatio est, politicè agendi, aliudque verbis, aliud inclusum pectore tenendi: cum vio-
 latio-

lationis huius metus aliorum verba cogat
flectere: nam quæ sinceritas sperari potest,
vbi perpetuus refectionis adstat timor?

Grauis etiam hinc turbarum causa, cum
sæpe ob noua aliqua enata, aut minus an-
tè prouisa, minusque nota, cogantur Su-
periores sententiam mutare. quod, vbi res
prodita, aut non sine vitio quodam incon-
stantiæ, aut cum aliorum ingenti turbatio-
ne necessum est fieri: aut sanè necessitas
quædam Superiori imponitur in minus
tuta prolabendi, ne aut externos aut suos
offendat, aut animorum in se alienationes
prouocet.

Accedit, tales usu quodam & quæuis
effutiendi consuetudine, externis etiam
intima quæque domus aperire. hic pœni-
tenti sibi mulierculæ, ille familiari sibi viro;
quæ domos denique peruagantur & op-
pida: quin & defectus animorumque va-
riæ propensiones, delicta vitiaque, si quæ
sunt, seu vero, seu falso non rarò adscripta,
Superiorum decreta, monita, & quidquid
demum priuatis æternum claudendum
parietibus erat, ostiatim ac plateatim de-
currit. tantum potest praua consuetudo;
vt quæ vel sanguine firmanda forent, spar-
gamus ac propalemus primi; ac tanquam
semen Chanaan, & deteriores etiam filij.
dede-

dedecorantes matrem, prospectandam
ridendamque præbemus aliis. quæ res eo
gravior est, quo minima etiam Religionis,
maxima apud externos habentur: eò ma-
gis, quòd in immensum res illæ crescant,
nec per vnus ora, sine insigni aliquo aug-
mento transeant.

Sequuntur deinde ex hoc capite detra-
ctiones plurimæ, nulla postea pœnitentia
aut lacrymis eluendæ; adhærentque adeò
constanter firmiterque, vt nullis virtuti-
bus eruere conceptam semel de se opinio-
nem queant, qui passi sunt hæc linguæ ma-
la. Nimirum vt videamur fidere externis,
vt amari se sentiant, vt in mutuam illos fi-
duciam affectumque impellamus, vt sen-
tiant se hac narratarum rerum prærogati-
ua donari, effundimus etiam in virgines
& matronas beneficis domestica propè
omnia, mores omnium. ea interim fiducia
sumus, vt celanda hæc arbitremur. falli-
mur, nulla est, quæ non vnâ pluresque
amicas habeat, in cuius sinum muliebri
more profundat omnia, vel hoc etiam so-
lo nomine, vt sentiant aliæ, quo apud con-
fessarium loco sint, quibus domestica om-
nia tanquam domesticis credantur. Sa-
nè quisquis prudenter vitam instituit, cer-
tò sibi persuadeat, nihil adeò grande &
per-

perenni silentio premendum, etiam in ipsa confessione, cuiusque committi mulieri, quod non aliquando vulgandum sit. ut ille prudens sit, qui nihil illis credit, ne in secretiore quidem sanctissimæ confessionis tribunali, quacunque præcautione sponsonibusque firmatum, quod non certo sibi persuadeat, tanquam tympanis ac tabis decantandum aliquando in foro & compitis. Illa proinde dicet vir prudens, ad quorum propalationem non erubescat: neque enim talis facile labetur in pœnitenda, aut se nomenque suum animumque periculis exponet grauioris mali, aut committet quæ vel leui quadam indignatione, vel innata naturæ inconstantia, vel alterius solertia, vel noua veteriue amicitia & familiaritate pellecta mulier profunder: quæ nec mala quidem sua delictaque diu premere didicit, maximè si ab alia paribus fiducia narrationibus prouocetur.

Remedia.

GRavis punitio illorum, qui in hoc muliebri vitium cadunt: qualis est, remotio ab omni munere, nulla consiliorum agendarumque rerum communicatio, ablegatio etiam ad alia loca minùs cognitioni

tioni commoda, ac proinde minùs etiam secretorum violationi obnoxia.

Seriæ poenitentię, etiam publica, quando res in aliorum cognitionem venit, publicæque reprehensiones acres.

Frequentia & seria monita, quotiescunque vel in minimo peccatum est: ita ut nunquam in hoc vitio parcat, aut dissimulatione delictum prætereatur. Sciat se obseruari qui hoc malo laborat, & nunc amore, nunc poenis, nunc proposita rei indignitate terreatur.

Consultum fuerit, si alij horum consuetudinem fugiant, sentiantque hoc qui huic se vitio dederunt. pudor & verecundia magnum incitamentum victoriæ est. Sciant hoc malum latere non posse. prodit se ipsum, & propalatione sui improbitatem aut imprudentiam ostendit. Monemur hinc à Sapiente: *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* ut arcanorum reuelatio, à fraudulenta & infida plurimum mente proficiscatur: fidelis enim commissa concreditaque sibi alto premit silentio: qua enim fide ab amico rem accepit, eadem seruat. credit ille, & in huius sinum reposuit? non fallit si amat, si committentis affectui respondeat. si prodit, amicus non est. fallit. infidus est.

nihil

nihil illi proinde credendum. nam ut inimicus non sit, ingenti laborat imprudentia, pertuso similis vasi. quis sapiens vina sua huic committat? quis consilia proditori? proditor omnis commissorum violator est.

CAPVT XXXIII.

*Infidus animus. Alieni explorator,
& delator.*

Vicinum Superioribus vitium, & ferè à placendi studio natum. deterius est, quando à nocendi libidine nascitur. primum ab amico aut patrono gratificandi desiderio prouenit. cum enim vident aliquid inter amicum & alium æmulationum, aut mutuarum suspicionum intercedere, idque è muneris siue iam parti, siue sperati quadam corriualitate; miscent se hi medios, amicitiam simulant, gratiam venantur. inde vbi se in illam sinuauerint, partis maximè oppositæ delatione, gratifque quibusdam detractionum relationibus, perfacile ab animo verborum his aculeis exulcerato extorquent ea quæ non iucundum sæpe audire est priori illi amico aut patrono; maximè si consilia propositosque

I i tosque

tosque menti fines subdola hac beneuolentiae ostentatione intellexerint, aut si quid in alium dictum scriptumue acerbius. quarum rerum omnium explorator ille & dux & auctor fuit, fallaci quadam maledicentia, simulataque calumniatione alterum in paria prouocans; maximè si patroni illius sui in hunc criminationes falso licet recensitas, & à se excogitatas retulerit. quo tanquam stimulo in indignationem primùm illum impellit, inde etiam in conuitia, simulata semper inimici in altero, amici verò in hoc persona.

Et ferè vsu venit, vt deteriora referant, plurimaque de suo misceant, ad prioris illius peccus potentiùs exacerbandum. validam odiorum causam subministrantes, conceptasque priùs animis scintillas, in ingentes ignes noxiis his infidissimi oris flabris excitantes.

Sin non tam placendi vni, quàm nocendi alteri studio hæc retia tendantur, detestandi etiam magis sunt, vt quos solum odium ad has fraudes impulerit. quod non tam humanæ mentis, quàm diabolicæ crudelitatis vitium est; maximè cum in innocentem, nullaque illius hostilitate prouocati, effera nocendi libidine, in aliena damna rapimur, idque beneuolentiæ quodam

dam mantello tecti; tanquam faporato pulmento toxica miscentes. ad quæ proiectissima scelera nemo Religiosus venit, nisi omnem antè Religionis spiritum exuerit, vindicisquæ Dei timorem excusserit, factus sibi ipsi improbitatis dux & magister.

Sequuntur ex his initiis mala innumera. ac inter prima lethale Religionibus omnibus detractiōnis vitium, non fortuitò, aut linguæ quadam incontinentia, aut à prauo habitu natum, aut aliorum narrationibus prouocatū; sed ab insigni malevolentia & præcogitatione, ac præmeditata improbitate profectū. quæ res veniam nullam meretur, nec sat graui pœna puniri potest: soluit enim omne humanæ coniunctionis commercium, omne mutuæ charitatis vinculum, omnem fraterni affectus necessitudinem, omnem Religiosæ domus tranquillitatem, omnem spiritualis amoris nexum, omne fiduciæ robur.

Succeduntquæ illorum loco nullo ingenio, aut arte reparanda damna: in verbis factisque pulsa securitate trepidatio: in omni etiam familiari collocutione, candore fugato, fraudum anxia sollicitudo; ac tanquam inter inimicas acies versanti, attonitus quidam timor: quaqua parte insidiis septo, hostilis quidam metus. nulla hîc

lata dies, nullum gaudium explicatum; ponderantur tanquam in trutina verba singula, & in omni oratione retia & compedes circumspēctamus. iam & incessus ipse & inambulationes nescio quid metuendum contineant. dumque omnis fiducia fidesque exulat, taciti contabescunt animi, ac quasi in saxa ac rupes congelascunt.

Misera omnino vita, & non hostium acerrimis vouenda: vt extrema præligēda pauperies, vincula sint & carceres inter lætum hilaremque panem & aquam, quam inter orbis delicias ac diademata ad omnē congressum verbaque mens attonita, dubia, insidiis benevolentiam mentientium circumsepta, perpetuisque suspicionum æstibus, tanquam decumanis fluctibus iactata, vt infelicissima in continuis tempestatum harum circumuolutionibus omnique acerbior morte censerī vita debeat.

Ecclesi. 12 Tales sunt quorum meminit Ecclesiasticus: *In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur vt subuertat te in foueam. In oculis suis lacrymatur inimicus: & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine: & si incurrerint mala, inuenies eum illic priorem. In oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adiuuans suffodit plantas tuas. Caput suum mouebit, & plaudet*
ma

*manu. De inimico amicitia simulante hæc verba. cuius cum distillent labia fauum, mellaque fundant, lacrymaque amorem testentur, hostilitatem facta loquuntur. de quo illud verè: Dens putridus, & pes lassus, Prou. 25
 qui sperat super infideli in die angustia, & amittit pallium in die frigoris. Sicut enim aramentum aruginat nequitia illius: & si humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam: ne fortè conuersus in locum tuum, inquirat cathedram tuam. talis etenim Eccli. 12
 est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis: est amicus qui conuertitur ad inimicitia: & est amicus, qui odium & rixam & conuitia denudabit: est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Excitabit etiam tribulationes, nec parcat animæ mœrenti, nec iacentis sanguinis impinguatur namque aduersis, & ridebit in interitu aliorum, omni bellua crudelior. Prou. 16
 Laetatur amicum suum, & ducit eum per viam non bonam, viam insidiarum & mortis. & dum amicum simulat, hostilia in incauto exequitur. bis sceleratus, simulatione & fine. Prou. 6.
 Et sicut noxius est qui mittit sagittas & lanceas in mortem: ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: & cum fuerit deprehensus, dicit, Ludens feci. nimirum ludit in amico sanguine.*

guine. hoc solo iudicio suo infelix, quòd cogitata ad optatum animo suo exitum deducere non potuerit. nec finem tamen improbitati, nisi in suo aut alieno sanguine statuet. Hic exitus infidæ mentis. perit, aut perimit: & miserando exitu amici, aut infelici suo, infidum animum signat, Deo hominibusque iuxta inuisus. de quo illud

Isaia 29 Propheta dici potest: *Vae qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis nouit nos? peruersa est hæc vestra cogitatio. quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non fecisti me; & signentum dicat fictori suo, Non intelligis. Profundi cordis omnis infidus est alieni obseruator & substructor. ac licet fraudulenta consilia sua apud homines tegat, Deum habet cordium scrutatorem, qui educet è tenebris insidias in proximorum perniciem structas. quem si cogitarent inspectorem & vindicem, non descenderent ad noxias has fraudes, tanquam si machinationum harum nullum aliquando habituri essent discussorem, nullum iudicem. audiant Sapientem: *Benignus est enim spiritus sapientia, & non liberabit maledicum à labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & lingua eius auditor. quoniam**

spiri-

spiritus Domini repleuit orbem terrarum: propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec prateriet illum corripuens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionē iniquitatum illius. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractiōe parcite lingua. quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. os autem quod mentitur, occidit animam.

Remedia.

A Vitij huius fœditate & grauitate petenda: quam à communi mortaliū omnium sententia mutuare possumus. qui licet proditores non rarò bono suo venentur & probent, & pretio etiam parent, proditores tamen execrantur: quorum infame omni retrò atate apud omnes nationes, omnique sæculorum memoria nomen est. quoque vnaquæque generosior gens est, hoc proditoris nomen maiore in horrore habet. venalia nimirum alieni honoris, gloriæ & commodorum mancipia, indigna quæ hominis nomine censeantur, quo magis ab omni Religione eliminanda. Monemur sic à Sapiente: *Noli Eccl. 37. 1*
consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & à Zelanti-
bus

Prov.
10.

bus te absconde consilium. & Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulentur, & dilatat labia sua, ne commiscearis.

Fouendus contra fidus animus, qui nec proposita morte alieni proditor fiet. talem quicumque nactus fuerit, inter verticis sui gemmas primam statuatur, colatque ut caelo datum, obseruet ut oculi pupillam, benefaciat ut animae suae, intimaque sibi familiaritate iungat. rarissimus enim horum usus, ac inter millia vnus aliquando, aut alter. quo studiosius quaerendi, fouendi, tutandi sunt. ut videant qui contrario virtuti huic tenentur vitio, quanta sit fidei pectoris praerogatiua. omnibus hoc opibus regnisque praestat: parari enim haec industria laboreque possunt; animus fidus, secreti tenax, nulla mercede aut tormentis vincendus, à solo caelo sperari debet. amicus fuit in prosperis? magis etiam erit in aduersis. stetit inter secunda? non cadet inter aduersantia: quin fortius firmabit gradum, & ostendet se non purpuræ aut fortunæ, sed amico natum, cum quo per aduersantia lætior ibit, quam sine illo in gloria. Serpens nimirum, sitis, ardor, arenæ, dulcia amori sunt. propone diademata: contemnet, si prodendus amicus est. opes & honores: ridebit, si alieni ex-
plo-

plorator delatorque esse iubeatur. sponde
 plena manu voluptates: nulla illi maior
 voluptas est, quam pro fidei firmitate ac
 ruitione vitam proicere. deince functioni-
 bus omnibus, exue muneribus, ad extre-
 ma terrarum populorumque relega, in-
 due compedibus: gaudebit, si pro fide, &
 negata prodicione patiat, & dulce du-
 cet pro tam bona causa pati: imò si desti-
 tuatur ab amico, & hostem patiat ex
 amico; stabit tamen in gradu, nec semel
 datam fallat fidem; & hostilitatem hanc
 errori tribuet, commiserabiturque amico
 tanquam è febris phrenetico & mente
 capto: morboque inimicum hunc ex ami-
 co animum, tribuet, non homini. ac nec
 iniuriis quidem damnisque prouocatus,
 aliud quam commiserationem reponet,
 qualem solemus mania laborantibus. Bea-
 tus qui hunc nactus fuerit: non enim quid-
 quam in hac vita voueri aut concedi po-
 test optatius aut maius, quam si nactus
 aliquem fueris, in cuius sinum tutò repo-
 nas quidquid animo habes malè, quid-
 quid benè, securus de fide, certusque de
 custodia. Bene Sapiens: *Amicus fidelis, pro-* *Eclli. 6.*
tectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit
thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio: &
non est digna ponderatio auri & argenti contra

*bonitatem fidei illius. amicus fidelis medicamen-
tum vita & immortalitatis. qui metuit Domi-
num, inueniet illum.*

CAPVT XXXIV.

*Ingratus animus, beneficiorum
immemor.*

DEo hominibusque inuisum malum: quod cum in omni hominum genere detestandum sit, tum multo maxime in Religioso, & mitior longe aperta hostilitas est. Nam quid magis cum ratione pugnat, quam cui benefeceris, pati inimicum? & omni hoste acerbior, ingratus est. nam inimicum æmulum suum auersari nihil nouum; odio etiam prosequi, cum mutua sæpe damna data & accepta, sat ampla odiorum causa intercurrent, nemo miretur. at post beneficia accepta dataque, in beneficium largitorem insurgere, & pro beneficijs odia detractionesque reponere, bellæ verius, quam hominis est.

Ingratitudinem verò vitia plurimum reliqua sequi, experientia nos docet. neque enim illa intra solius nudæque ingrati- tudinis limites se continet: profilit ferè ad odia, famæque ac bonæ æstimationis dimi-

diminutionem, dictorum factorumque
 fugillationes. Semel enim verecundia exu-
 ta, ne ingratitude ab alijs damnemur,
 decurrimus ad acceptorum beneficiorum
 extenuationem. inde etiam damnamus
 donatorem, merita nostra extollimus, do-
 na deprimimus. quòd si magnitudine sua
 celari dona & beneficia non possunt, aliò
 donatoris mentem torquemus, & suis il-
 lum commodis, non nostris dona contulif-
 se contendimus: vt cum rem nò possumus,
 mentem damnemus. ita sagaci ingrati-
 tudine inuolamus in amicos. Inde iam in
 apertas dilabimur detractiones ac hostili-
 tates: ac primò apud vnum alterumue,
 tandemque pudore exuto palàm in om-
 nium oculis.

Fædum in Religione vitium. & ferè re-
 peries pari hos ingratitude ab alijs per-
 cuti, qua in Superiores benefactores sive
 suos sæuierunt: plerumque etiam mœro-
 ribus opprimi, ac melancholia quadam ex-
 di & extingui. nam cum benefactores à se
 auerterint, nec quisquam se illis suaque
 credat, fidat nemo, imò quisque consue-
 tudinem familiaritatemque fugiat; fit vt
 contabescant malis, sibi aliisque graues.

Qui si Superiores sint, non facillè suo-
 rum animos possidebunt: neque quisquam
 tali

tali duce ad pericula decurret, nemo vltro labores suscipiet, nemo gaudens sudorem fundet, quem scit ingratitude munerandum. nulli ad ardua mens stabit, aut ad generosa manum porriget, quam didicit non vacuam tantum remittendam, & nullo dignandam premio, sed insigni aliqua ingrati animi testatione feriendam. hinc pro laudibus, & benevolentia signis, sicciora inferior pumice, satyroque quodam dente pronunciata verba referet, aut indignantem etiam orationem, factaque, clara & illustria licet, deprimentem. quibus modis etiam probissimorum, & ad labores promptissimorum animos exasperant. Ingrato enim benefacere durum, sudoremque ingratitude siccantem ac detergenti profundere graue est. inuitos proinde ac reluctantes suos ad ardua quaque reperiunt.

Si inferiores hoc malo tenentur, omnium à se Superiorum animos auertunt, alienissimosque experiuntur, ac diffidentia plenos, nec quidquam laude aut gloria dignum magnumue committentes: nullorum etiam consiliorum participes faciunt, nullaque familiaritate dignantur: nulla premiorum munerumque prerogatiua condecorant. nam quis ingrato aut se, aut
sua

sua credat, aut beneficiis obstringat, quem nulla munificentia vincit, nulla liberalitas mollit? obduruit nimirum frons illius, & durior ferro beneficia repellit, & in auctorem pro munere conuitia retorquet.

Nulla deinde apud ingratum secreti firmitas. abditissima quæque propalabit. nihilque tam sanctum, à quo veneratione tactus abstineat. gaudebit etiam creditorum sibi refectione, & invidia duce, ad recondita quæque protendet manum, felicemque se æstimabit, si quid muneratoris sui erubescendum vulgauerit. hostem credas in inuidiæ scelere lætabundum, ac tanquam parta ex inimico victoria triumphantem. vt, si delectus detur, hostem longè præ ingrato diligas. nam vt ille acerbissimus sit, sanguinisque tui sitientissimus, beneficijs tamen vinces. nec vlla re magis crudeles inimicasque mentes, damnisque & odio efferatas, quàm beneficijs mitigabis & mollies. pergit illa exasperata furere? perge benefacere. repellit ab hostili manu munera? duplica, & vinces, sedabisque tandem sanguineam hanc sitim, frangesque inimicos animos furore licet ebrios, deducesque ad placidam quietem; inde in admirationem, in factorum suorum detestationem, tandemque in laudem & amorem.

rem.

rem. & cùm nolit beneficijs vinci, paria conatur reponere. quique generosa mente inimicitias fouit, odiaque sparsit; eadem mentis generositate victus, beneficia tanquam missilia iaculabitur.

Ingrato verò quanto plus benefeceris, tanto magis exasperaueris. beneficia enim illi materies odiorum sunt, non secus ac ligna oleumque flammaram materia. Nec domandi hoc peccatus remedium vllum. subtrahere beneficia, liuore & mœroribus quidquid interni in illo roboris est, emedullabis; cõfer, insurget in benefactorem; tanquam si arma furenti præbeas; nega, in se sæuiet, nulli, ac ne sibi quidem amicus.

Contrà verò animo grato, ac beneficiorum memore nihil cuiquam iucundius gratiusque euenire potest. Pulchrum sanè, & cælo dignum certamen, animi grati cum munifici largitoris beneficentia: cùm nec gratitudine hic se vinci patitur, nec beneficijs ille. gaudet benefacere generosus animus, & beneficium existimat, dona posse conferre grato. & prouocat quasi nolentes in beneficia gratus. cui etiam re-nuenti plena manu generosior omnis munera largitur. Ingenti deinde fiducia in talem fertur quisquis animo erecto est, ambitque vltro amicitias, & felicem se consuetudine

suetudine illius arbitratur. nec quidquam
 tam magnum est, quod non in gratiam il-
 lius lubens profundat, vitam etiam positu-
 rus, si qua grauior necessitas postulauerit.
 Nec minor in animo grato magnitudo est;
 se suaque sanguinemque latus profunder
 in benefactoris sui causa, nec fortunam
 huius, sed animum sequetur, ac in aduersis,
 iuxta ac secundis fidem tenebit. Ingruunt
 tempestates? vltro se illis pro benefactore
 inuoluet. petitur huius pectus? latus op-
 ponet suum. audit detrahentes? laudes op-
 ponet. delicta videt? excusabit, si potest, aut
 certè mitigabit verbis. si lenimen rei
 grauitas non patitur, ingenti animi sensu
 miserabitur benefactoris sui, & ad preces
 apud Deum, lacrymasque decurret; gra-
 taque interim memoriâ in quacunque
 fortuna benefactorem suum prosequetur:
 & vbi se occasio dederit, virtutes enarra-
 bit, delicta humanæ fragilitati tribuet.

Remedia.

FVge ingratos animos, consuetudinem
 deuita, contubernio repelle, nihil cre-
 de, ne te obstrictum teneant.

Nihil quod laudem mereatur commit-
 te, vilioribus destina, magnorum familia-
 ritatibus

ritatibus subtrahe, à publicis functionibus exclude.

Frequentatis sæpe per annum spiritua- libus exercitiis, piorum librorum assiduis lectionibus, fortibus Præfecti spiritus mo- nitis, adiuuandus erit.

Proderit etiam si inualetudinis tempo- re pronam in se paternamque senserit. Su- perioris mentem. quæ res si ingratum il- lius animum non flectat, à solo Deo reme- dia poscenda & speranda sunt. cuius sunt non aliena abs hac re apud Lucam verba:

Luc. 6. Diligite inimicos vestros. benefacite, & mutuum date. & eritis filij Altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Vitij etiam huius magnitudine ter- reri quisque meritò debeat. describit eam paucis sed fortibus verbis D. Bernardus:

Serm. 51 in Cât. Ingratitudo ventus est urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordia, fluenta gratia. &

Sap. 16. de ingrato Sapiens: Ingrati spes tanquam hi- bernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam

De ver- aqua superuacua. & monet Augustinus: Grati- bis simus ex eo quod habemus, ut addatur quod

Apost. non habemus, & non perdamus quod habemus.

Serm. 16. Solet enim Deus eadem ingratis animis inferre, quæ seruo nequam suffodienti ta-

Mat. 25. lentum domini sui: Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. omni enim ha-

benti

benti dabitur, & abundabit: ei autem qui non
habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.
& inutilem seruum eijcite in tenebras exterio-
res: illic erit fletus, & stridor dentium.

CAPVT XXXV.

Nimia ad externa diffusio.

Sive illa à quadam naturæ inquietudi-
ne, & necdum in plenum domito sæ-
cularium affectu proueniat, siue extædio
ariditatis interioris, dum in externis mens-
solatia quærit, quibus interiùs caret; non
leue utrobique malum est. Euenire enim
solet, vt, dum se totum animus in externa
profundit, adhærescat etiam non cogitan-
ti non parum sæcularis & mundani pul-
ueris, quibus obtenebratur spiritualis o-
culus, ne ea deprehēdat, quæ & ipsi & Re-
ligioni noxia sunt, quæque illum paulatim
à genuino & primario vocationis spiritu
abducunt. ita à tam paruis initiis mens to-
ta obtegitur: minimarum vimirum are-
narum congestio crescit in montem, fer-
tilisque etiam agros infæcunditate & ste-
rilitate sua contegit. *Cum enim propter tem-*
poris breuitatem, & diei malitiam vix necessa-
riis sufficiamus disponendis, si superuacuis &
alienis

Bonau.
de 6.
alis c. 7.

Kk

alienis volumus occupari negotijs, negligimus
 utiliora & meliora: cum distractus animus ad
 plura, fit minor ad singula providè peragenda.
 Inde fit aliquoties, cum Pralati & Ecclesiastici
 nimis se exterioribus occupationibus implicent,
 adificiorum, agrorum & vinearum & similibus,
 quibus fructuosius carerent, ut non solum me-
 liora interim negligant, sed etiam conscientiam
 sapius inquinant, & ex usu exteriorum tene-
 brescat mentis oculus ad contemplationem spiri-
 tualium & interiorum, & tepescat ad desiderium
 supernorum. Sicut enim humores noxij affluunt,
 ubi fuerit in corpore lesio, nisi cautè remouean-
 tur, ne fiat ibi tumor vel ulcus: ita & negotia
 crescunt ad extinctionem spiritus, qui se his ac-
 quiuerit occupari. Super omnia verò debet se-
 metipsum rector circumspicere, ne alijs provi-
 dens, seipsum negligat, neque alios saluans, seipsum
 in periculum demergat. quid enim prodest ho-
 Mini, si uniuersum mundum lucretur, anima
 verò sua detrimentum patiatur?

Mat. 16

Desipiunt etiam in dies magis magis-
 que interna, dum delectamur externis,
 nec potest animus his obsessus, celestia si-
 ne pugna admittere. Multis deinde, licet
 magna cautela & circumspeditione uti-
 tur, necessum est se homo implicet, quæ
 aut minùs vocationi consona, aut ab illa
 etiam aliena: labiturque aliquando in pe-
 nitent-

nitenda, corporique vniuerso nocitura.

Et incredibile est, ad quanta damna è leuibis initiis decurratur. Gutte nimirum & stillicidia tenui licet filo desudata excauant rupes. à tam molli raroque lapsu vincuntur multorum sæculorum opera, & quæ decumanos vicerunt fregeruntque fluctus, guttatim depluente lymphæ sedibus pelluntur. Idem vsu venire videmus in Religioso. steterat quaquæ parte irruentibus tentationibus, dum se domesticis contineret parietibus, & superior etiam omnibus inferorum conatibus stabat interritus; vt primùm veteres egressus limites, plusculum se in sæculum distudit, cœpit labascere, & dissimilis iam esse sui. Nec mirum. cùm enim Religionis clauderetur terminis, perpetua quadam interni spiritus pascebatur alimonia, tanquam cælesti manna, firmabaturque domestico orationis propugnaculo aduersus procurfantes hostiles acies; at postquam destitutus his præsiidiis, nudum exposuit latus inimico ferro, quid nisi vulnera expectet cædemque?

Nec pessima quæque primo ingruunt prolapsu. pedetentim ad præcipitia ducimur, eo ferè passu, quo ad externa diffundimur. à minimis scilicet initiis, ad latissi-

ma damna descenditur. Et trahimur primò agendi quadam cupiditate: & videri Religiosus amat, quisquis sæcularibus se rebus immiscet. aut sanè è leui quadam fastidientis animi nausea, ac spiritualium lassitudine, profundit se ad externa, tanquam nausæ aut inualetudini suæ remedium aut solatium quæsiturus. Interrumpendus nimirum spiritualium ille cursus erat, ne aut contentione frangeretur animus, aut eiusdem spiritualis cibi fastidio teneretur. infelici commutatione à cælestibus ad sæcularia decurritur, quasi in medicinam ac solatium. Ex quo fit, vt quomens profundius perituris illis immergitur, hoc potentiùs eripiatur æternis: pari ferè passu, vt quantum illis accessit, tantum his decedat.

Neque diu tales Deo coniunctos videas, cum disjungantur per externa. patiunturque difficultates maximas, vt ad statura orationum tempora se recipiant. & vt conatum adhibeant, effunditur statim omnis in iis collectus fructus, quasi si demessam messem dispergas in ventos. inde arefcent animi, spolianturque ac nudantur opibus internis omnibus, vt nec suæ, nec propagandæ proximorum salutis aut Dei gloriæ idonei sint. contingitque illis, quod validis

dis fluctibus ac tempestatibus iactatis, ut stomachi patiantur fastidia, nauscentque super omni spiritali cibo, viribus destituti. transeunt deinde ad carnem & corporis commoda, illisque vicina. cumque narrationibus impleantur ingentiū passim detractionum, facile in easdem domi forisque effunduntur. assurgunt exinde animi. & quo pluribus miscentur, maioremque externarum rerum cognitionem consequuntur, plus etiam fastus induunt. hinc domesticæ exurgunt æmulationes, pariaque in imitationem studia. quæ res ad parum sæpe affinia religiosæ modestiæ ac moderationis cōsilia impellit. Nec res tegi diu potest. decurritur ad externos, & æmulationum semina latè sparguntur, damnanturque in Religiosis sæculares mores, partiumque studia, plurimumque de sanctitatis ac maturitatis opinione decedit: è quo sperata multorum salus vniuersa propè collabascit. Bene Antiochus: *La-* Homil.
quei & pedica sunt aspirantibus ad salutem sa- 102.
cularium congressus, ac proluxa eorum confabulationes mentem prorsus auocant à Dei glorificatione & spiritali letitia. & magnus Gregorius: Valde difficile est, ut lingua secularium Lib 3.
mentem non inquinat quam tangit: quia dum Dial.
plerumque eis ad quadam loquenda condescen- cap. 15.
dimus,

Kk 3

dimus,

dimus, paulisper assueti hanc ipsam locutionem, quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus: ut ex ea iam redire non libeat, ad quam veluti ex condescensione deducti venimus inimiti. sicq; fit, ut ab odiosis ad noxia, à leuioribus ad grauiora verba veniamus: & os nostrum ab omnipotenti Domino tanto iam minus exaudiatur in prece, quanto amplius inquinamur stulta locutione.

Quòd si quæ necessitas ex obedientia nata cogat ad illa, meminerit vocationis, Dei que sui, & properantis æternitatis: ad illum que quoties per interualla licebit, eo ardentius euolabit, quo minus temporis conceditur; assuescat que in mediis etiam externarum rerum occupationibus cæluminambulare, frequentibusque imductis pectore suspiriis communè omnium parentem pulsare, in illum densas immittere preces, tanquam telorum syluam; calentia iaculari vota, tanquam nubibus contorta fulmina; perennes profunderè lacrymas, tanquam euripi fortunata maria, beata negotiorum & lacrymarum reciprocatione. Felices occupationes, tam beatissimæ animorum condimentis: sic enim fiet, ut nec cariem sentiant, nec putredinem metuant, nec viam ad ruinam domino sternant. At Superiorem prudenter

ter in hac re Gregorius monet: *Sit rector* ^{In Pa-}
internorum curam in exteriorum occupatione ^{stor p. 2.}
non minuens, exteriorum providentiam in in- ^{c. 7.}
teriorum occupatione non relinquens: ne aut
exterioribus deditus ab intimis corruat, aut so-
lis interioribus occupatus, qua foris debet pro-
ximis non impendat.

Remedia.

ORationis studium, considerationis in
 Superiore hora seriò impensa: exa-
 mina conscientiae non perfunctoriè adhi-
 bita: adspirationum ad Deum frequens
 vsus, etiam in mediis saecularium rerum
 tractationibus.

Frequens etiam piorum librorum le-
 ctio, actionumque saecularium per spiri-
 tualia exercitia interruptio.

Superfluarum rerum resectio, maxime-
 que speciosarum, & quae plus habent ex-
 terni decoris, quam animarum fructus.

Colloquiorum & visitationum rarior
 vsus, quae si quando per alios non minori
 fructu peragi posse sperare licet, in alios
 potiùs transferantur, quò liberiùs ipse in-
 terno homini suo vacet.

Saecularium occupationum fuga, quae
 eo difficilior erit, quo mens semel tota illis

immersa, altè in religiosa toga sæcularem imbibit succum. Quare nisi talis validè se ipsum reprimat, propensionem domet, affectum potenter comprimat, non facile victoriam sperabit.

Amandatio ad alias habitationes & munia, in quibus minus periculum est externæ effusionis, spesque maior spiritualis collectionis, solitudo maior, occupationes rariores, populus infrequentior, minor cognitio.

Iteratæ per annum spiritualium exercitiorum recollectiones plurimum hinc iuuant: in quibus si metuenda damna periculaque, exempla que non postremorum in Religione virorum, infelici exitu signata seriò & non cursim examinètur, ingenia sperari emolumenta possunt. Frequens etiam cogitatio verborum horum, Ad quid venisti? quid sæculum moribus factisque repetis sæculi desertor? multum per omnem partem proderit; minæque inten-

Luc. 9. tantis Dei: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Matt. 6 & illud: *Nemo potest duobus dominis servire. aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.*

Proderit etiam nullam rem aggredi, sine prævia secum recollectione, seriumque dicto-

dictorum factorumque re peracta examen
 instituere, sicubi erratum, aut à religiosa
 modestia, à primorum parentum matu-
 ritate, ab instituti regula decessum. prode-
 ritq; in primis, si diebus singulis quadrans
 vnus sub noctem seponatur, quo diei illius
 cum externis peracta recolamus. nullam-
 que vniuersim omnino rem inscio Supe-
 riore suscipiamus, ac nec vltro nos nego-
 tiis immergamus. Quòd si frequentes ex-
 ternorum accedant interpellationes, af-
 fuescat eas Religiosus piis interspergere
 colloquiis; vt si pergant molesti esse, ali-
 quid semper referant boni: aut tædio pia-
 rum rerum affecti interpellare desinant.

Excitatio in se diuini amoris, diuina-
 rumque rerum, multum in hoc genere va-
 let. neque enim talis facile se patietur ab
 illis deduci, ad externa duci. nam qui ad
 hæc se trahi permittit, amorem in hæc
 suum testatur. non raperetur, si non ama-
 ret. rapitur: amoris indicatiū est. exuat hunc
 amorem, diuinum induat, & vicerit: me-
 mineritque verborum D. Gregorij: *Qui* ^{4. Mo-}
ad appetenda aternitatis atria accenditur, di- ^{ral. c. 30}
gnum profecto est, vt ab hoc temporalitatis a-
more lassetur, vt tanto frigescat à studio sacu-
li, quanto surgit ardentior in amore Dei. quem
scilicet si perfecte arripit, mundum etiam plene

derelinquit. & eo funditus temporalibus moritur, quo ad supernam vitam aliis afflatu aternitatis animatur. & eodem capite: Qui in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine conualescunt, eo à propria virtute deficiunt: & quo robustius aeterna appetunt, eo à temporalibus salubri defensione lassantur.

CAPVT XXXVI.

Castitatis neglectus.

CVM aut fiducia nostri, aut aduersariorum contemptu, aut periculis neglectu in precipitia ruimus improvidi, damnaque non reparanda accipimus, hinc oculorum liberiore iactatione ludimus, ibi aurium curiosiore aucupatione vellicamur; alibi lasciuiori inuoluimur lectioni, succedit familiaritas sexus alterius, diurniora colloquia, captata solitudo, prolixiores repetitæ & frequentatæ confessiones, spirituales instructiones familiariores, munerum mutua acceptationes, secretorum vtrò citroque consiliorum communicationes, ingens peramica silentia commissorum fiducia, officiosa & sacrum redolentes salutationes, scripiones
comi-

comitate & beneuolentia plenæ; nec qualis inter patrem filiamque ueneratio, sed qualis inter sponſas ſponſosque honorum præuentio.

Inde iam profiliunt nocituræ libertates, mutuus aſpectus, exporrectæ frontes, hilaritudines, uerba riſum prouocantia, geſtus leuior, minusque religioſa corporis compoſitio, membrorum iactatio, narrationes ſimilitudinesque è matrimonio petitæ, quibus paulatim & pudor ponatur, ac tota demum uerecundia exuatur: ſuccedunt faciliores manuum contactus, & qui antea ad veſtes ac veſtigia propè pedum erubeſcebat, nunc conſtanti uultu & oculos inſuetur laſciuientes, & labia oraque legit ridentia, & prouocantes amicat genas, nec exhorreſcit ad nudatum pectus magni lupanaris anteaambulium, omniſque omnino libidinis prouocatorium. *De caminis nimirum ſcintilla profiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant: & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam: in riſum aliquando diſſoluitur, nunc blanditias exhibet, & quod eſt uenenofius ſuper cuncta, pſallere delectatur aut cantare, cuius cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem.*

*Cypr.
De ſing.
cleric.*

Augmenta ſumunt hæc per interualla, neque quiſquam repente fit peſſimus: quin
imò

imò sub pietatis pallio, sub spiritalis instructionis prae-textu latent & teguntur hæc nocitura, & in mortem pedentim abitura, ac quodam quasi perenni stillieidio excavantur & exteruntur religiosa pectora firmissimæ quondam rupes, & tot antè dæmonum machinationibus, tot inferarum legionum valido pro-cursu superiores, femineo cadunt oculo; tam molli, vt ita dicam, elemento chalybe fabricata corda, ferro cinctæ. ita virorum primi & maximi, & stellæ solisq; futuri ca-lo, muliebri corruunt manu, Samsones Da-lilæ, Dauides Bersabeæ, Salomones plu-rium blanditia.

Ac supina omnino opus negligētia ac spi-ritualium neglectu ac tepore in eo qui post annos in Religione decursos in carnem labitur. cū enim experientia doceamur nouitios à sæculo recentes, vix ex altissimo vitiorum oceano ereptos, madentes ad-huc & criminum fluctibus non semel in-se-pultos, ægreque caput attollentes, aut è media etiamnū prauarum affectionū for-nace calentes & ambustos, necdum degu-stata virtutum pulchritudine, orationum robore, mortificationum firmitate, in ma-gna animi puritate primos Religionis an-nos decurrere; rara oculorum auriumque
cu-

custodia, celerique quarumcumque occa-
 sionum fuga, ingenti que omnium quæ ad
 voluptatem quoquo modo ducunt horro-
 re ac detestatione; mirum planè videri
 debet post variorum annorum in Reli-
 gione educationem, labi viros religiosos,
 meditationum orationumque præfidiis
 excultos, post variarum virtutum docu-
 menta, post exercitam & ad arma spirita-
 lia paratam mentem, post continentia-
 callum, post corpus pœnitentijs disculptum,
 post tot hostiles acies, tot inferorum agmi-
 na superata, protritam & calcatam non se-
 mel carnem, nobilissimos denique à mun-
 do triumphos actos; mirum planè & pro-
 digio simile labi in muliercula Religiosum,
 hunc lasciviæ oculo captum, illum femi-
 nea voce delusum, alium leui cõtactu tan-
 quam compede constrictum, quin & pe-
 tulantioris penicilli conspectu tanquam à
 Babylonijs ignibus arsisse non neminem;
 plurimos etiam tanquã niuem sole medio,
 muliebribus colliquatos radijs, aut ad do-
 mesticas illarum flammæ, tanquã à poten-
 ti fulgure emedullatos, multosque à solo
 petulco & ludibundo in femina calamo ia-
 cuisse prostratos, arbitreris Herculeæ clava
 aut cæstibus protritos.

Verùm si altiùs principia legamus, &
 præ-

præcipitij causas propiùs intueamur, non ab ultimo illo immanis ac miserandi prolapsus momento, sed à semitis longa ad illum manu ducentibus initia sumenda erunt; à Sacramentorum nimirum, orationis, meditationis, examinum conscientie, spiritalium librorum, pœnitentiârũ, manifestationis animi morborum, sobrietatis ac modestiæ neglectu ac contemptu, à præfidenti fiducia sui, regularum violatione, frequentatis muliebribus colloquiis, sociorum fuga, secreti captatione, otij amore, laboris declinatione, cibi potusque commodorumque corporis prosecutione, alijsque his similibus ad infames femineos scopulos paulatim prolapsos reperiemus. Non vna hora, die, mense cecidit veteranus: anni viam ad ruinam strauerunt, & tanquã blattæ & tineæ leui licet corrosione, vniuersum paulatim robur emedullarunt. A tam paruis initiis ad malorum extrema inuictus ille, dũ Religionis amor regularumque obseruatio staret, veterani animus prolapsus est: stillicidia hæc nimirum incauto annorum prolapsu sana exederunt. tam suaui elementi guttata molities tanquã leui spongia, aut amico osculo, quidquid erat saxei roboris, extriuit. ita à scintilla vrbes iam nullæ, & à modico veneno

veno Herculeæ iacent vires ignibus pabulum.

Vitabit hæc modica quisquis salutem amat, quisquis præcipitia, quisquis exempla cogitat.

Remedia.

A Superioribus partim, partim ab inferioribus petenda sunt. proderit, si Superior in omnem occasione intentum oculum teneat, nusquam operam suam in hac materia deesse patiatur, nusquam etiam in minimis in hoc genere parcat. parcere hic odisse ac perdidisse est. excubet serio ne qua parte regularum observatio infringatur, ne in tepescat in orationis ac mortificationis studio spiritus, ne primus lægescat ardor. initijs ante omnia occurrat, nec medicamenta differat in validiorem morbum, ne curationem in ferrum & ignem rejicere cogatur: occasiones omnes ad viuum rescindat, etiam ense non damnanda, si ad damnanda quoquo modo ducant, reuellt: queratur æger, laudabit periculis ereptus, neque prudens sublatas egritudinum causas dolebit. peritissimus ille medicorum est, qui præprouida cura auertit mala. nec iustam querimoniam causam habet, quem ad exactam regularum

ac

ac constitutionum obseruationem, vigilans Superioris sollicitudo cogit. arguat in Superiore inferior diffidētiam & inanium suspitionum seriem: consultius est illum Superioris diffidentia circumuallatum stare, quàm minima illius fiducia non reparanda præcipitia pati.

Qui roborauerit ac obduruerit animum diuinarū meditationū ac orationū studio, qui conscientia suæ latebras bis per diem diligens non perfunctorius scrutator excusserit, qui quidquid quacunq̃ue via irrepserit malorū celeri pœnitentia deleuerit, qui spiritalium librorum lectione nullo non die pectus firmauerit, qui frequentibus per diem aspirationibus mentē ab humanis abduxerit, ad diuina sustulerit, qui se suaque omnia, animorum in omnem partē affectiones, irruentiumque tentationum fluctus ac procellas Superiori non minus candidè quàm integrè, vt medico, vt patri, vt matri reserauerit; non facilè ad erubescenda labetur.

Anocituris deinde magna cura animus auocandus, à quacunq̃ue feminea familiaritate, à muliebri uisitatione, à colloquijs quocunq̃ue prætextu prolixioribus, ab eorundē personarū confessionibus frequentioribus, à munerum vltro citroque erogatio-

gationibus, à mutuis scriptionibus, à molliori cura, & patrocinijs subsidijsq; tenuioribus procurandis, à lasciuientiũ calamarum lectionibus, à liberiorũ penicillorum circumspectione, ab auida blandiorum verborum captatione, à diuturniore alterius sexus præsentia & fermocinatione, à curiosiore rerum verborumque non castorum inuestigatione. Neque enim quacunque demum ex causa Religioso immorandum talibus, neque altiùs vestigia parum castis semitis imprimenda; celeri potius hæc volatu quàm gressu transcurrenda, & vt per ardentis prunas, per inimica agmina, per aduersarium ferrum, per interimentia venena præpropere cursu saltuq; transilienda sunt; etiã in medijs abditissimarum confessionum disquisitionibus, ne aut ignorata discantur, aut explicata amburant, aut à penitioris agnitione altiùs imprimantur animo, quàm vt valido post conatu excuti possint. Credi enim non potest, quàm immania pectori incendia è minima scintilla suboriatur, quantaque vniuersam mentem è tenuissimis initijs flamma depascat; vt semel curiosiores oculos coniecisse, semel aures præbuisse, vix multorum postmodum annorum lacrymis elui possit: quin imò non

rarò non nisi cum vita, lucta è tantilla re nata deponitur.

CAPVT XXXVII.

Nimia fiducia sui in rebus agendis, feminarumque consuetudine.

CVM etiam sæculi prudētes moneant, Cprovidi esse, aliorum potiùs in causa sua consiliis, quàm propriis niti. ferè enim labimur in nostris, & affectu trahimur potiùs quàm ratione: neque magis obuium ac familiare est, quàm probare quæ placent: euenitque in his, quod nebula tectis, quibus verarum rerum prospectus omnis intercluditur; quod per rubrum vitrum obiecta intuentibus, qui res omnes rubro colore tinctas arbitrantur, nec errorem hunc, nisi amouerint vitrum, deponunt. Vitrum hoc priuatus affectus cuiusque est, qui rem omnem colore suo tingit, nec patitur veritatem detegi.

Quantis verò periculis fiducia hæc nimia exposita sit, facilè videbit, qui innumeras errorum in rebus humanis causas cogitauerit, maximè in rebus arduis, & quæ rem publicam, quæ Principes viros, quæ Religionis vniuersæ nomen bonum
tan-

tangunt, in quibus semel errasse, ferè perpetuum est. Ita nulla arte reuocari error ille potest, qui vniuersam rempublicam traxit in ruinam. Grauis error, & ab ambitione natus, & plurimùm lapsui vicinus.

Audire, in deliberationem vocare, nunquam non à magnis & prudentibus probatum, è quibus qui deliberationem instituit, optima seligat ac tutissima. Scio primum illum locum in prudentia tenere, qui in pectore suo senatum ac consilia, fugiendaque sequendaque reperit: proximum illi, qui ex aliorum consiliis sanissima deligit. at quanti priores sunt? vix è millibus vnum aut alterum inuenias: & vt talem nactus fueris, sensum tamen aliorum explorasse, obesse non potest, prodesse potest, vt prudenter Sapiens: *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem vbi multa consilia.* Prov. 11

Nec diffiteor in subitis audacissima aliquando, tutissima consilia esse; sed perrarò ad hæc extrema compellimur. & tutiora sequitur, dum res locusque permittunt, qui peritos audit, & rationum illorum momenta serius indagator excutit: nam vt nihil aliud, hoc fanè qui alios in deliberationem admouet, consequitur, vt tot propugnatores ferè habeat, quot consiliarios;

si negligat, tot oppugnatores referat.

Neque quisquam propè est, qui non aliquid aliquando suggerat rei bonæ; vt non rarò etiam in infimis non pœnitenda reperias. Accedit alta quædam quietudo mentis, cùm mens deliberationis conscia, nihil temere, aut proprię libidinis impulsu aggressam se nouit; cùm contrà in vario metu sint omnia, solusque, si quid aduersi inexpectatum aduenerit, damna, variorumque iudicia ferre cogatur, protectore destitutus.

Neque facilè quisquam antè neglectus, re ad extrema, aut vltimam desperationē deducta, manum admouebit, ne in tam dubio exitu honoris nihil, dedecoris referat plurimum. quin imò reperias non paucos, qui quòd in consilio capiendò neglecti videantur, non improbent modò, sed & variis substructionibus subdolisque machinationibus probatissima etiam euertere conentur, & miscere damnanda, qui sententiam rogati, probassent. Non quòd omnes velim in consilium adhiberi, sed peritissimos quosque ac primos, quibus vel longa experientia, vel muneris ratio, vel ingenij iudiciique bonitas lucem ad varia præfert.

Nulla verò in re magis elucet hoc malum,

lum, vulneraque non medicanda infligit, damnaque non reparanda dare consuevit nimia hæc fiducia sui, quam ubi de castitate agitur: & ferè cecidisse reperies, quos nimia fiducia sui longius à littore prouexit, & maria hæc multorum mortibus infamia tentare suasit. Fiducia hæc inter hos scopulos & breuia nauiganti naufragio proxima est. enauigauit qui timuit, qui que non suo solius consilio fluctibus hisce domesticam commisit ratem.

Præcipitia demum hîc sunt. Caueat quisquis salutem amat. vno leui flatu aut prolabentis in hoc lubrico vestigij lapsu, salus continetur. Ne fide quisquis salutem amat. præcipitio fiducia hæc omnis proxima est.

Et sanè in labili admodum figit pedem, quicumque hunc campum impavidus calcet. Syrtes & breuia cogita, scopulos & decumanos fluctus, cum à tirone Oceani inexperto nauigantur. tot omnium ætatum naucleri peritissimi in hoc profundo naufragium fecerunt, & in extrema senectute, post enauigata maria, torrentem non rarò repererunt, in quo perirent. tot veterani milites, post innumeros triumphos, & hostium cædes, post campos cadaueribus fatigatos, sudem inuenerunt,

L 13 quo

quo caderent: tot prudentia & eruditione clari, cano iam capite ludibriū facti sunt, & mundo fabula. & sperabit nescio quis ingenti plenus fiducia sui, medios inter femineos fluctus, tabula salutem? inermis inter armatas has mulierum acies illæsum corpus? effugia denique ac tuta receptacula adolescens inter illius sexus insidias laqueosque compedesque; medius? ingens error est, post tantorum naufragia, cædes & vulnera, meliora sibi fatua fiducia spondere.

Et sanè quisquis non timuit, aut iam lapsus est, & prostrata iacet victima infami muliebri manu ingulanda; aut lapsui proximus est. vt meritò stolidum illum dixerim, qui post orbe toto magnorū strages, inermis victoriam sperat, & audet iratos hos prouocare fluctus palmari scaphæ confusus, quos tot armatæ rates nequidquam integra carina tentarunt.

Et verò monent prudentes, à solo timore & fuga salutē in hac lucta sperari posse: nec quemquam in hac pugna periisse, qui non plurimū à nimia fiducia sui, viam sibi ad ruinam struxerit. Venenā cogita, nullus illa, valida quamuis manu, prudens contigit. nemo serpentem, frigoribus licet torpentem, impunè deliniuit. Hercules,

les,

les, & Samson, & quidquid firmum, roborisque plenum, hinc cadit. superant venena robur: at nocentior omni veneno mulier est: ludus basiliscus est, & nulla iam hyæna est, si cum illius oculis & voce conferatur. Timebit proinde hæc toxica, quisquis iudicem Deum timet, & inferni pœnas; quisquis salutem amat, & reposita cælo præmia: nec erubescet audire timidus, ut securè infidum hoc enatet mare, tantorum submersionibus infame, ut tutò venena hæc effugiat, tot magnorum luctuoso exitu nobilitata; ut integro demum corpore, femineo se huic gladio eripiat, tot primorum orbe toto sanguine & cædibus ebrio.

Prudenter Cyprianus monet, & fidentes instruit: *Aduersaria est confidentia que periculis vitam suam pro certo commendat, & lubrica spes est que inter fomenta peccati saluari se sperat. incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est flammis circumdari, & non ardere.* & alius: *Expedit multo, bene timere, quàm male fidere, & utilius est ut infirmum se homo cognoscat ut fortis existat, quàm fortis videri velit, infirmus ut emergat.* eiusdem illa sunt: *Nemo de suo corde presumat quando profert sermonem, nemo de suis viribus confidat quando suffert tentationem. quia*

ut bona prudenter loquamur, à Deo est, non nostra sapientia; & ut mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia. & Sapiens: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentia tua. & Apostolus: Non sumus fidentes in nobis, sed in Deo.

Remedia.

AB exemplis tutissima sunt. felix ille qui alieno periculo doctus, neminem suo docet. Percurramus humanarum propè rerum omnia. Imperatores, dum nimia fiducia roboris sui, hoste contempto, ardua petunt, vniuersam gloriam infami exitu macularunt. Peritissimus quisque nautarum, dum nimium elemento suo fufus, altiùs prouehitur, naufragium passus est. Et non summi natatores, pugiles, torrentibus forbentur, & imbelli ac rustico ferro cadunt? Eadem in omni hominum genere reperies: quo magis timore armatum pectus, metu cingenda latera; tutum te hinc comites præstabunt, & inter pericula prouidum & securum.

Cogita deinde, quanti in carnem delapsi; & disces ab hac fiducia in præcipitia hæc turbatos, dum robori virtutiq; suæ fidunt: &, dum non firmât illecebris aures,
non

non frenant oculos, linguam, manus, nec tanquã compede stringūt domesticas has feras, in medio felici cursu, ludibrium facti sunt orbi, & in exemplum iam aliorum positi. Audet Religiosus quocunque prætextu diutiùs colloqui? familiariùs, liberioreque deinde aspectu & cachinno, metuque ac verecundia exuta? etiam in contactum ibit, inde ad extrema malorum.

Vtile fuerit, nihil in eo genere aggredi inconsulto Præfecto spiritus, & aliorum potiùs, quàm suæ sententiæ niti, ac tuta quæque vereri. Prudens Imperator in alta pace bella cogitat, adeoq; & bella parat, ne imparatū hæc improuidumque opprimant. Paret etiam spiritalis athleta in pace bella: muniat pectus lorica timoris Domini: armet caput cælesti, non sua fiducia plenus: & quo minus se bellorum ostentat, hoc præsentior sibi magis etiam timeat, & a magna malacia magnas tempestates expectet. hoc propinquior periculo; quo molliùs hoc elementum ludit. Ne fide huic tranquillitati. maiora sub hoc ridente vultu damna latent; voragine & scopuli teguntur hac serenitate. Nihil proinde inter omnia remedia præsentius, quã nulli fidere, vereri omnes; etiam in forore femina cogitare, & in fratre virum. Deum

denique omnibus præsentem, præmiatorem & iudicem, etiam cogitationum reconditissimarum.

Prov. 3. Monemur vniuersim à Sapiente: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne in nitaris prudentia tua, in omnibus viis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos, ne sis sapiens apud temeripsum.*

CAPVT XXXVIII.

Feminarum familiaritas quocunque pre-textu, confessionum, instructionum spiritualium, boni temporalis, agritudinum.

ET sanè magis periculum adit, qui dolo circumuenitur, quàm quem hostis aperto aggreditur Marte, & palàm. in fraude nulla ferè virtus, aut robur iuuat, cum incauti in insidias labamur, & antè cadamus, quàm periculum senserimus. Et familiaritates tales minùs sunt suspectæ, minùsque timentur, cum sub ratione boni mala tegant. Ita cadunt primi parentes, & Amasa, & Abner doloso Iobai ferro, & hominum pars magna.

Et quis inter tripudia, & lætitiæ signa ferrum vereatur, & caput Ioàn̄is in disco, & inter oscula Iudæ Magistrum prodi? sub
tam

tam pio nimirum velamine nocitura, & perimentia latent venena. Iam in omni Religione, omniumque hominum genere, quàm grauibus multorum lapsibus strata ad ruinam via est!

Familiare in hoc malo est, excusationes prætexere, Res leuis est; quid periculi è tantilla re? Sed & scintilla res leuis est, & tamen quàm latam non vno sæculo dedit flammam? flamma, non scintilla, mulier omnis est, adeoque ignis est, quo orbis non semel conflagrauit. Et venenum modicum, non venenum est? quàm multi vitam modico illius haustu finiuerunt? nulum muliere venenū potentius est: frons, oculi, genæ, labra, vox, risus, manus, vestes toxico plenæ sunt. & non magna pars hominum cadit hoc veneno? Vidit ille, audiuit, leuiter & fortuito tetigit alter, & captus est. Quare monet Sapiens: *Virgi. Eccli. 9.*
nem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. auerte faciem à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. ita à paruis, ab vno nimirum oculorum iactu, ad magna dilabimur.

Et non leuia sæpe sunt bellorum initia, quibus totus propè non semel exarsit orbis?

bis? Grauiora in omni muliere reperies, & intestinorum, tanquam ciuiliū bellorum causas maximas. plenæ historiæ sunt. Nulla deinde res leuis dicenda, quæ ducit ad interitum, & qua primi maximique, omni historia teste, ex omni hominum genere ceciderunt. hinc illud Cypriani: *Quantos leones domuit vna muliebris infirmitas delicata! quæ cum sit vilis & misera, de magnis prædam capit.*

Non sentio, & roboris sat videor tot annis collegisse, quibus nullo nocumento inter illas verfor. Non minimus morbus, & sine sensu irrepens, initio neglectus, interitum parauit etiam valentissimis, & annorum numero per aspera & dura firmatis? non minima vulnera, & sine sensu accepta, ad sectionem & vstionem & mortem ducunt? Noli antea actæ probitati fidere. peritissimi ferè gladiatores ignauo cadunt ferro. primi natatores post tranata flumina & maria torrentibus obruuntur.

Ad Nepotian.

Prudenter Hieronymus: *Nec in præterita castitate confidas. Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* Et vt te concedam vacare periculo, altera fors pars non vacat. & tot exemplis docti sumus
non

non vacasse. Benè quidam mulierem virumque sali comparat & aquę. sal ex aqua est. iniice aquę, redit ad amicum sibi elementum. Oleo alius molli mulierem comparat, ignibus virum: adde oleum ignibus, an extingues flammam? Tertullianus omnem virum mulieri, omnem mulierem viro gladium ait esse. Et vt vtrimque desit periculum, scandalo non vacat hæc familiaritas, & exemplo præimus iunioribus ad libertatem, inde ad interitum.

Soror est, neptis, sanguine iuncta. At quoties in talibus ludit error? quàm multi perierunt propinqua hac flamma? quoties natarunt campi consanguineo ferro? non minus periculi à consanguinea muliere. Lot magnus vir in filiabus cadit: Amnon in Thamar sorore: Ruben, &c.

Verùm prudens & proba matrona, aut virgo est, annis prouecta, instituti nostri amans. Eo magis metue: nam hæc natura sua trahunt in fiduciam, dumque minùs timentur, occultiùs illabuntur. Dum filet mare, ac quasi ignauo sopitum iacet somno, tunc peritissimus quisque maximè inuigilat. mentitur hæc serenitas, ac de propinquo minatur. Periculosior omni Oceano mulier est; dum blanditur, sæuit; dum ridet, venena iaculatur. Ne fide iacenti

centi huic elemento; sub hac consanguinea nube imber, grando, fulmina latent perimentia. Si instituti nostri amans, & benefactrix; magis etiam honori illius & famæ & saluti consulendum est, ne hac familiaritate periclitetur.

Nulli timor & fuga noxia, omnibus propè familiaritas & fiducia exitio fuit in hoc agone. Et sanè alterum è præcipitio pendentem pedem habet, quicumque sub hac specie boni fidentiùs ac familiaritùs versatur. Illabitur hoc venenum incogitanti, & virus infundit incautis: eo nocentiùs, quo cautiùs: miraturque ruinam, vulnera, mortem, qui nec præcipitia, nec ferum, nec venena senserat. Ille prudenter rem instituit, vitamque moresque ad aliorum exempla componit, qui quæ facta olim, euenire posse arbitratur sibi, aliorum periculo edoctus.

Et verò nulli ætati tutò has necessitudines credi posse, tot in cano vertice pudibundi nos lapsus docent: vt ausim dicere, plures me vidisse post quadragesimum adeò & post quinquagesimum annum, quàm ante illum infami & miserando exitu prolaptos; dum annis credunt, nec damna metuunt ætatis prærogatiua suffulti. Neque nouum, post sexagesimum casti-

monia

moniaꝝ annum in vtroque sexu erubescē-
da vidisse; vt tunc inciperent ardere, cū
corde fibrisque gelatis capulo proximi
alterius vitæ prænuntiis premerentur.

Misera conditio, post tot annorum in-
tegritatem, ad æternū deffenda venire.
Tantum potest familiaritas, & amica mu-
liebris veneni cōsuetudo: vt etiam glaciē
flammas iniiciat, & arentia exhaustis me-
dullis ossa inuerecundo impleat igne. Ca-
uebit quisquis priorum sæculorum exem-
pla metuit, quisquis posteritati exem-
plum in se statuere non volet. nulla ad pec-
candum ætas grandior. Quid? quòd non
pauci in illa ætate peccatum amarint, cū
peccandi emortua materies esset: ignes
spirarunt, cū nullis fornacibus accendi
viderentur posse. Vitabit proinde famili-
aritatē omnem, quisquis alterius vitæ me-
mor, æternitate proposita, Deum sibi sta-
tuet inspectorem, accusatorem, iudicem,
præmiaq; & flammam nullo æuo finiendas.

Scrupulositas prætenditur Superiorum.
ita vigilantiam ipsorum in inuidiam voca-
mus. Nemo nimis timuit in re salutis. Cau-
tius ambulat, rariusque cadit, cui etiam
tuta suspecta sunt. Præsumptio omnis rui-
næ proxima est; & prudentiæ comes timor
est. Tales excusatores similes iis videntur,
qui

qui phrenesi laborant, morbum non sentiunt, sanos etiam se esse arbitrantur, cum ingenti intus ardeant flamma, & ferè morti proximi sint.

Corporalis demum aliqua necessitas, qualis in inualetudine euenire solet, à non postremis quarundam regionum Religiosis & nescio qua veteri consuetudine adducitur. nimirum in auxilium ferendum sexus ille pronior, agrisque fouendis curandisque accommodatior, ac natura quasi in solatium factus.

Ingeniosa omnis improbitas est. causas sceleribus inuenit, & dum periculum suum amat, damna minuit, necessitatem auget, metum seponit; eo malo vicinior, quo securiùs propiusque inter flammam ambulat.

Certè si qua res alia, hæc periculorum plenissima est. virum Deo sacratum, sanctiore etiam castimonie voto obstrictum, muliebribus non tantum deliniri colloquiis, sed pudoreposito, manibus componi, foueri, demulceri? & prudens credet virilem ignem, femineo hoc oleo iniecto non exurgere in flammam? credet veneno tangi, & innoxium illæsumque abire? aut virum morbo sexum omnem deposuisse, ac in feminam degenerasse? credet mulier.

lierculam non æstare hoc contactu, aut hanc etiam virum factam? aut vtrumque in marmora & chalybem abiuisse, vt sine sensu ludant oculi & manus, & in mediis flammis congelascant membra saxa de carne nata?

Et vt pericula taceam, vbi pudor castimonix comes? nam quis nesciat multa in agritudine intercurrere, quæ propiores liberioresque manus & oculos poscunt? & salua castitate integris oculis, manu, pectore, ire quemquam in alienos contactus & aspectus? toties poni componique non iam lectum & stragulam vestē, sed membra & corpus, & lapidem semper esse, sensusque expertem?

At senior aliqua matrona est, ætate moribusque matura. quasi non liberius in senes sine vteri metu peccetur: & dum timore pulso, minùs metuitur, celerius non labamur? & fors senior illa iuenculam sibi sociam adiunget, vt quæ vno igne non potuit, duobus in viro exurgat flamma. Vna videlicet non satis erat agro, & senior à valentiore iuanda, vt mutua vicissitudine mutuos labores leuant, & somno oppressa seniore, aut quacunque ex causa absente, vicarias & auxiliares iuencula, viridi adhuc robore & ætate, manus agro-

M m tanti

tanti viro præberet, ac in extremis etiam necessitatibus, mater esse inciperet, quæ virum ignorabat; & materna ac sponsæ libertate, ægrienti manus admoueret, nec viriles tamen cæsus sentiret, nec sexuum discrimina disceret, nec è virgine sua egrederetur, aut pudorẽ exueret. Nollem hæc miracula temerario ausu sperare; maxime cùm aliud omni historia sæculorum omnium doceamur. etiam in fuga pericula, quo magis in liberiore aspectu & contactu? aut eminus ignes exurgunt in flammæ, de propinquo in glaciem? & in vasta eremo, Hieronymus & Nazianzenus, & tot olim magnorum millia per tot maria, & immania terrarum spatia, absentes, in longa macie, vigiliis, pœnitentiis exelo & emarcido corpore, hostiles hosce alterius sexus ignes senserunt. sed & è prima iuuenta, post quadraginta annorum consépultæ libidinis funera, in extremum senium, post tot interualla, improbi ignes exsurrexerunt, idque valentiùs sæpe quàm in ipsa adolescentia: & de propinquo glaciem promittent? Non veniunt hæc à cælestium amore, non ab anima diuinis ignibus calente. ab humani generis hoste veniunt: qui subdolis his insidiis quos aperto Marte non potuit, incautos, nimiaque fiducia

ducia sui laborantes trahit in interitum sempiternum.

Remedia.

AB exemplis petēda sunt, Sanctorum-
que monitis. Inter tot mulieres suas,
solo aspectu alienæ cadit David, & addit
homicidium; ita non solet in vno crimine
libido stare. Salomon addit voluptati ido-
latriam. Samson post tot fraudum ex-
empla, sola ruina docetur. Ioannes & Pau-
lus post quadragesimum & sexagesimum
eremi annum miraculis clari in virgine ca-
dunt, alter etiam cædem addit. & plenæ
sunt omnes historiae.

Fuga in his, & occasionum omnium vi-
tatio, certissima & tutissima victoria est.

Parcitas in loquendo, ac maturitas, ac
ad seueritatem magis, quàm ad suauita-
tem composita conuersatio, laudata sem-
per à viris prudentibus fuit; & inutilium,
ac non necessariorum colloquiorum rese-
ctio. priuatorumque munerum accepta-
tiones aut donationes, magna & prudenti
circumspectione instituendę sunt: trahunt
enim hæc sola memoria sui, & affectus mu-
tua hæc donaria afflant, altius non rarò,
quàm vt modica cura & laboribus eruan-
tur, imprimenda.

M m 2 Su-

Suspectissima omnia habere quæcun-
que hunc sexum tangunt, & minima etiam
pro maximis arbitrari, leuissima pro peti-
culo proximis, tutissimum genus est.

Nulli fidere, nulli te tuaque credere, ni-
hil committere, ad cuius euulgationem
erubescas: nihil dicere, ne quidem inter
confessionum secreta, quod non dictum
velis, & aliquo etiam ornatu & mendacio
vestiri.

Hostem si in omni muliere cogitaueris,
si venena, si flammæ; non facile te huic se-
xui credes: tange, & tanquam pice & to-
xico cõtaminaberis: intueri, tantum non
peristi. nam siue vultum, oculos, vocem,
ornatum, compositionem totam cogita-
ueris, insidias & dolos & compedes & re-
tia reperies incautis improuidisque tenta,
quibus simplices animæ, & tantum col-
umbæ in fraudem inducantur, vt antese
captas videant, quàm pericula cogitave-
rint, & serò priorem libertatem circum-
spectent parietibus clausæ. Tantum me-
tue, & hostilia omnia cogita, & fraudibus
periculisque superior eris.

In Superiore maiore etiam opus est cir-
cumspeditione, quo huius exemplum abit
ad plures, cum licere sibi arbitrentur in-
feriores quidquid in illo viderint.

In

In morbis maior etiam cautio adhibenda, quo sub necessitatis prætextu ad nocitura descendimus. amputanda, ac tanquam nouacula ac falce omnis in his præscindenda muliebris familiaritas, consuetudo, uisitatio, colloquia. Plus enim in his periculi, quo minus timoris est. ille non facile labitur, qui etiam in plano, aliorum infortunio doctus, scit se posse labi. temerarius ille est, & ruine proximus, qui inter pendula præcipitia tanquam in humili decurrit. vir proinde viro decumbenti inuigilet, auxiliatricesque manus, famulamque dexteram admoueat mulier nulla, ac ne soror quidem propius corpori ancilletur, quin & verecundia in Religioso matrem subueretur, & vulgandi in illa pudoris sui testem veretur.

Et sanè indignum Religioso & viro est, mollissimis muliercularum manibus foueri. verùm mortis metus ad quæ non cogit, at consultius longè mori, quàm his flammis ardere. & non deteriore morte cadit qui femineis ignibus decineratur, quàm qui æstuantibus febribus animam conditori suo reddit.

Si inferior fuerit, fortiter resistendum, muliebriaque hæc noxia subsidia validè neganda. dolet? mitius est dolere quàm

muliebribus flammis exuri. mœrore obruitur? clementius hoc integitur, quam ignibus infepelitur. constanter proinde arceat hunc sexum, nec ullis se precibus vinci flectique permittat Superior, rationem de concredita sibi anima Deo redditurus. & non melius est modicum hinc ingemiscere, quam in æternis ignibus, nequidquam medicam diuinam manum inclamare, olim mitem, olim etiam patris ac matris, nunc post muliebria hausta venena, solus in vindictam iudicis, & seueri, flectique æternum nescij iudicis? Pius sane per omnia ille Superior, amantissimusque suorum est, qui momentanea hæc feminea solatia æternum nocitura negat. durus ille est, qui peritura hæc solatia æternum peremptura admittit.

CAPVT XXXIX.

Frequentes & proluxa feminarum confessiones.

Ingentium non in Religione tantum, sed in omnibus qui excipiendis confessionibus occupantur, malorum origo. è quo propè quidquid excogitari potest vitiorum nascitur, maximè cum eadem frequen-

quentius audiuntur, plurimumque in ijs temporis impenditur. crescit enim è consuetudine familiaritas, è familiaritate libertas; & qui prius ad mulieris vocem erubescibat, nunc pudore seposito, etiam intueri & arridere non reformidat, & ad liberiora etiam verba, risum iocosque pro-uocare: sequuntur dictorum factorumque narrationes prolixiores, & ferè sæcularibus permistæ: ac tandem è tam crebra frequentia, domestica quasi quædam licentia; nec iam tantum patris, sed & fratris, & per familiaris amici personam induit. inde metus, omnis pudicitiaæ custos, exulat: & dum pulso timore, malique suspicione deterfa, tanquam cum filia pater, aut veriùs tanquam cum eiusdem sexus amico versatur, ferè incautus antè cecidit, quàm muliebria hæc præcipitia prospexit; antè que in feminea retia, & insidias prolapsus est, quàm pericula prouideret.

Scio sub prætextu spiritualis necessitatis colloquia primò ferè trahi, & non rarò etiam affectu pio: sed qui improuidos, zeloque minùs prudenti ducat in ruinam. & plerumque pulchra hæc velamina improbæ rei prætexuntur. nebulæ hæ sunt, quæ diuinum solem mentium oculis excludunt, præripiuntque meliores diuinæ lucis ra-

M m 4 dios,

dios, quibus & amoris & timoris diuini ve-
rior lux animis prælucebat; qua subducta,
tanquam per incertum noctis medias in-
ter tenebras mens conuoluitur, ignara iam
sui, periculorumque suorum.

Nam ut quis credat tam crebra proli-
xaque in illo sexu colloquia de Deo, deque
salute sola esse, integraque hæc castimo-
niæ & modestiæ fama stare, stolidum po-
tius, quam vanum est. magis etiam si cre-
dat, in tanta frequentia primam verecun-
diam, cautelam, providentiam, metum-
que consistere. nam quæ primis congressi-
bus modicis & rarioribus hærebat mens
dubia, pendula de euentu, nec sibi satis fi-
dens, adeoque & tuta omnia timens, ea af-
fiduitate & consuetudine, damna nec vi-
det, nec veretur. familiaria enim sibi, ac
quasi domestica pericula cum fecerit, ne
sentit quidem: arbitreris occalluisse ad
hæc venena, quæ quo minus timentur, eo
nocentiores aculeos figunt, nulla postmo-
dum arte medicandos, nulla refigendos.

Accedunt aliorum in similes familiari-
tates æmula propensiones, cum singuli si-
bi licere arbitrantur, quod vni permitti-
tur. hinc frequentissima nascuntur collo-
quia; & confessionum sedes, narrationum
& fabularum sunt sedilia: ut tales videas
ab

ab his sedibus redire plenos nouarum rerum, dictorumque factorumque aliorum; illas etiam domū referre domesticas propè res omnes. ita mutuis narrationibus, quasi mutuę beneuolentię tesseriis mutua necessitudo firmatur, in intimæ cuiusdam fiducię testationem. narrantur deinde utrimque audita domi; illæ quæ à Confessariis acceperunt, profundunt in sociorum sinum: Confessarij in sociorum. & ne desit quod dicant, eidem singuli insistent femitæ: nec pericula plurimis aut omnibus iam communia timent, nisi post lapsum.

Plurimorum deinde tam externorum, quàm domesticorum suboriuntur offensiones, qui tam crebra ac diuturna earundem muliercularum intuentur colloquia, & deteriora cogitant: & res ipsa grauem non bonarum cogitationum materiam suggerit.

Iam cum non omnibus eadem familiaritatum officia præstentur, exurgunt reliquarum æmulationes, obloquia, suspiciones prauæ: quæ ex suo ingenio cum alias metiantur, perfacilè vident, ex his lignis & ignibus non nisi metuenda incendia nasci. cumque non ignorent necessitudinum harum pericula, quæ ipsæ fortè non

semel passâ , eadem in aliis carpunt: & vt naturâ in omnem deterrimarû rerum suspicionē pronæ sunt, factæ ex seipsis magistræ; pessima quæque & ominantur & narrant, non sine grauis Confessarij talis dedecore. quod etiam in vniuersum corpus redundat, & vnius iam delictum abicit in omnes; cùm vniuersim Ordini, quorundam delicta tribuuntur. neque quisquâ sibi persuadet, Ordinis non esse, quæ aut annuentibus Superioribus, aut non emendantibus eueniunt.

Grauiissimum verò est, si ipsi Superiores hoc malo laborent. quorum facta documenta, ac propè præcepta reliquis sunt, ac quasi ad imitandum imperia. nec iam delictum putant inferiores, quod Superiore duce faciunt, nec pericula metunt illo præeunte.

Et ferè quidquid vnquam in Religione malorum, quidquid lapsuum natum est, ex hac crebra diuturna que, confessionis, aut spiritualis documenti prætextu, cum iisdem mulierculis colloquutione ortum est. Vt maxima eorum pars, qui deserta vocatione sæculum petierunt, ac in scelera antè, aut non multo post prolapsi sunt, ex his initiis ad extrema illa malorum deuenierint. paucique adeò non tantùm ad carnem

nem

nem & sanguinem, sed ad reliqua vitia & scelera deuenerunt, qui non ex hac frequentia ad præcipitia hæc descenderint. nam & munera hinc originem ducunt, & variarum detractionum ingens vltro citroque materia enascitur. euulgantur domestica omnia, nec quidquam tam reconditum sanctumque, quod mulierculæ non committatur, & inter hæc, poenitenda non raro, ac nulla in posteritatem arte eluenda: sequuntur feminarum visitationes, & sociorum in ijs fuga & vitatio: sæculares deinde mores, nimiaque in delationibus credulitas, & his non inferiora plurima. quæ omnia ex hac frequentata confessionum prolixitate noxia foecunditate pullulant, infelicis seminis infelicia germina, in Religionis interitum nata.

Et sanè indignum viro docto, religioso, & ad maiora nato, paucis mulierculis tantum temporis vitæque impendere, tot horas malè locare, ne aut destituamur illis, aut plures conciliemus, ipsi antè illaqueandi, & sub pulcro hoc spiritualis auxiliij velamine, muliebribus retibus implagandi. maximè cum alliciendi placendi que hoc studium, sine domesticorum offensione non transeat: cum mutua hinc nascantur æmulationes, metus, mutuique ad se has illasue

illasue pelliciendi conatus. quas res non infrequenter contemptus Confessariorū sequitur. neque enim fieri potest quin inter hos conatus, prolaxasque sermocinationes, aliquid minū prudens, minū religiosum, minūque generosum ac virile elabatur, vicatim postmodum non sine rubore effundendum.

Remedia.

A Superiorum vigilantia, & solerti industria petenda sunt: qui si in omnē partem excubauerint, non magno negotio mala hæc discutient, maximè si seria accesserint monita, atque in delinquentes poenitentia.

Si post secundam tertiamque monitionem emendatio non successerit, tentanda erit loci mutatio. quòd si nec mutatione mores mutauerit, ab omni fæminarum confessione arcendus erit.

Proderit etiam tales variis occupari, & aliis potiùs, quàm excipiendis confessionibus distineri; aut sanè tot negotiis muneribusque obrui, vt vel tempus desit prolixioribus hisce colloquiis.

Per Præfectum etiam spiritus tales iuuandi erunt, ac per frequentes spirituales annuas re collectiones.

Con-

Consultum etiam erit aliquoties hos in anno aliorum negotiorum prætextu ad alia loca destinare, ut aliorum moribus paulatim assuescant poenitentes, & desuescant illius. à quibus etiam, captata occasione, pericula docenda erunt, damnaque, quæ ferè crebras diuturnasque confessiones sequuntur.

Vniuersim etiam iuuabit, si à Superiori familiari aliquando colloquio, aut recreationis tempore exempla narrètur eorum, quæ & plurima & graua sunt, qui è talibus initiis in grauissima quæque, ac demùm ad Religionis desertionem delapsi sunt.

Iuuabit etiam cogitatio præsentis Dei, omnia intuentis, & ad iudicium adducentis. finem etiam prolixarum harum confessionum examinare. si spiritalis est, cogitet plus semper periculi his annexum quam spei bonæ, maioraque vtriusque damna quam bona data relataque esse. si temporalis alicuius commodi, meminerit Deum se habere patrem, qui vigilantes seriosque regularum obseruatores non destituet in inopiam: cogitetque plus semper maturitate morum, paucorumque religiosorum verborum pondere, quam prolixis molli- busque colloquiis parari.

CA.

CAPVT XL.

Feminarum visitationes.

QVocunque demum prætextu illæ
fiant, noxię in primis Religioso sunt,
ac omnium etiam maximè confessario;
cui modis omnibus expedit plurimum ve-
recundiæ pœnitentibus suis ac veneratio-
nis inharere; vt eum nulla pœnitens mu-
lier sine rubore audeat intueri, aut sine
verecundia extra confessionis tempus adi-
re, aut loqui: vtque eam rerum, quas in
confessione tractauit, memoria, perenni
quadã verecundia ac veneratione, à Con-
fessarij familiari congressu terreat. eueniet
alioqui, vt familiarioribus colloquiis & pu-
dorem paulatim & venerationem exuat.
ac vbi quædam in Confessario, quod per-
facile in familiari consuetudine fieri con-
suevit, minùs aut religiosa, aut infra con-
ceptam estimationis spem deprehenderit,
incipiat contemnere, quem antè venera-
batur vt patrem.

Nec rarò euenire solet, vt familiaritas
hæc visitationibus parta libertatem con-
fitendi tollat, maximè si quid grauius, aut
verecundum intercesserit, cuius memo-
ria

ria praesentiam Confessarii vereantur; aut sanè inuerecundiam quandam ingeneret: vt quæ antè non nisi ingenti rubore in ipsa confessione, nunc etiam in familiari colloquio inuerecundè exprimant, vt meritò moneat Ecclesiastes, & ab omni familiari congressu, in quo ferè liberius excurrunt oculi, terreat: *Speciem mulieris aliena multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Eccij. 9.

Visitationes deinde illæ, quid nisi ingentium malorum materies sint, ego non video. miscentur verò vltro citroque colloquia, ridetur etiam, & liberiores decurrunt oculi, omnisque paulatim pudor dertegitur; gestus solutior, cachinni, ioci, narrationesque subsequuntur minùs religiosæ; pedetentim deinde socios testesque dictorum factorumque fugimus, & solitudinè amamus, ambimus etiam. profiliunt ex hinc colloquia familiariora: non qualia inter patrem & filiam reuerentem & pudicam, sed qualia inter maritum & coniugem, vt nullus iam pudor verbis, ac non multò post nec factis. semel verò pudore pulso, quàm grauiam metuenda sint, nemo non videt: quæ enim primò ad Confessarij, tanquam serij ac grauissimi parentis, vocem expauescebat; nunc in illius oculis

culis & vultu, tanquam in mariti, aut fratris, aut sororis ludit, iaculaturque non raro, etiã ignara, potentia fulgura, ossium medullas exedentia, hauritque vicissim non castos ignes: & antè vtrimq; flammæ exurgunt, quàm scintillas senferunt. prudenter Sapiens: *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* & Basilius: *Cum femina semper esse, & feminam non cognoscere plus est quàm mortuos suscitare.*

*Ecclesi.
42.
De vira
virg.*

Neque in vnius visitatione sistitur. plures adeundæ, ne exurgant inter non impares æmulationes, ne se desertas querantur; ne postpositæ, ad alium Confessarium animum adiiciant. Ita cùm plurium visitationibus Confessarius distinetur, plurium paulatim ardet flammis, plurium percussus vultu, oculis, gestu, voce.

Offensiones ex his nascuntur externorum sanè graues, & grauiores offensionibus suspiciones: ingentiaque exurgunt scandala oblocutionesque, & deteriores factis narrationes. nec auctoritati tantum multum decedit, sed vniuersa tanquam spongia detergitur, & quidquid antè collectum boni nominis, tanquam flumine deletur: vt nulla iam verbis fides, nulla monitis auctoritas, fiducia nulla sit. omni

pro-

probitatis, sanctimoniae, castimoniae opinionione depulsa.

Domesticorum etiam aut offensiones, aut, quod deterius, imitationes subsequuntur. ita proni omnes ad deteriora sumus. & delectat sequi, ad cuius cogitationem sine exemplo perhorrescebamus. erubescimus autem, & timore septi, nec verbo visitationem aut colloquia sustinebamus: accessit exemplum, & proni in illa ruimus; laudemque etiam venamur, ad cuius autem nomen rubore suffundebamur. tantum dux potest & exemplum, maxime in iunioribus, quibus necdum per aetatem, rerumque periculorumque experientiam aduersus has illecebras robur inualuit. Nec quidquam facilius, quam teneras ceruices, ac quasi de matris etiamnum lacte, flectere in quamcunque partem, rapereque ad haec mulierum mollia & blanda, non vno magnorum etiam & primorum orbe toto virorum naufragio infamia. vt nihil mirandum, si in illos scopulos imperiti naucleri, & tempestatum fluctuumque inexperti illidantratem

Serpit dein haec visitationum frequentia ad reliquos, ac tota iam domus effunduntur ad illas, pietatis ferè aut commodi alicuius praetextu: ita ferè electibilibus ve-

N n nena

vena miscetur; nemo illa absynthio aut felle miscuit: quæ gustai in primis amica, toxico ab inimica manu natât. facit idem diabolus, spe spiritualis emolumenti ad hæc muliebres visitationes inhortatur, ad epulas reuera basilisci, ad venenam molli sibilo tecta. ne fide, quisquis Deum amas. altè hîc serpens habitat. iaculabitur toxica opportunitate nacta. & vbi incautus fiducia tui extra omnem metum fueris, altiùs venena hauries, quàm vt illa vlla medica manus depellat; seroquæ ingemisces, & nihil profuturas lacrymas, irritaque suspiria dabis, cùm intima depasta senties, ac non nisi cum anima nocitura deuomes.

Neque consistere hoc malum in vno potest. prouocata enim vnus alteriusue proritamento reliquæ, ac quadam æmulatione sociarum, eadem cõcedi sibi à Confessariis suis poscunt, quæ aliis euenire vident. negat aliquis? deserto hoc negatore suo, decurrent ad liberalem illum visitatorem, à quo paria sperent ac consequantur. è quibus initiis ingentes animorum nascuntur dissensiones, ac in tacita quadam, ac aperta tandem odia abitur.

Remo-

Remedia.

IN solidum omnes omnino visitationes muliebres secare consultū erit, nisi aut certa ægritudo, aut grauis aliqua necessitas aliud deposcat.

Propendentes in eiusmodi quā monitis, magnorumque non in vna Religione lapsibus, miserandisque in omnem posteritatem ituris exemplis, quā pœnitentiis coercendi, loco etiam mouendi, audiendisque confessionibus excludendi.

Transgressores in aliorum exemplum & terrorem graui pœna mulctandi, nullique quacunque prærogatiua fulgeat, eruditionis, pietatis, ætatis, dignitatis in hoc genere parcendum. neque vlla nimia hęc seueritas esse potest. vt ille clementissimus censeri debeat, qui fortissimè punit, sæuitque in noxium membrum, ne contagione huius vniuersum corpus periclitetur.

In necessariis ægritudinum visitationibus, si perpetuus fidus Religioni socius claudat latus, oculosque in omnem partem intentos habeat, magno in omnibus securitati adiumento erit.

Iam vt frequentior mulierum visitatio, tanquam venenorum attrectatio, noxia est,

ita sæpiùs ab ijsdem visitari non minori periculo subiacet. quate non inferior in hac re Superiorum prouidentia, vigilantique cura quàm in priore necessaria erit.

CAPVT XLI.

Sociorum fuga & vitatio.

VIA hæc est ad ruinam multorum, magnorumque lapsibus infamis in Religione scopulus, maximè cum de mulieribus agitur: in quarum consuetudine ac familiaritate, qui sociorum vitat præsentiam, hunc ruinæ proximum esse, necessarium est. Multis hoc in omni Religione exemplis, veteribus recentioribusque doceri potest. Iam, si proba, si casta, si timore Domini munita conuersatio nostra est, quid sociorum veremur oculos? Amare potiùs debemus socios dictorum factorumque, & innocentia nostræ testandæ, ac vitandorum periculorum, scandaliq̃ue & suspicionis in aliis auertendæ causa. Securos enim tutioresque nos reddunt ab improbis callidisque mulierum illecebris, & ab æmulorum, inuidorum, ac odio etiam Religionem persequentium liuoribus & malignitate. Quas enim non possunt,
inui-

inuidia, aut nominis nostri odio flagran-
tes, aut alicuius priuati viri magni, calu-
mniastruere? quibus non criminationi-
bus obruere, si innocentiaē testes absint?
& quomodo innocentia contra improbi-
tatem se tuebitur testibus destituta? Opta-
re proinde prudens omnis actionum su-
arum testem debet; & erubescere ac ex-
horrescere, quoties solum se quocunque
locorum, muliercula, sponte an fortuito
deprehenderit.

Iam cum nusquam aduersarius desit
quærens quem deuoret, omnemque oc-
casionem captet; magna illi à socio remo-
ra iniicitur. nam ut flammam, & medicata
libidine tela iaculetur, accendatque non
casto pectus igne; non erumpit tamē flam-
ma: cum sociorum vigilantia, tanquam in-
iecto flumine restinguitur hic ardor, &
quasi obiecta rupe repercutitur, foras fors
erupturus ni repercussionem reperisset.

Quid? quod ipsa non raro forma, & se-
creti securitas nimis magna incitamenta
sint ad reconditas multorum sæpe anno-
rum flammam excitandas. Incredibile enim
dictu quantum momentum ad scelera se-
cretum adferat; ut, si publicationis timo-
rem iniicias, maxima facinorum pars cor-
ruat. neque quisquam facile ad vulganda

decurrit: secretum crimina amant, quæ tamdiu appetuntur, quamdiu celanda sperantur. ut primùm vulgationis metus incussus, tanquã iniecta frigida cor gelascit.

Cumque in omni hominum genere plurima existent exempla non vltimorum virorum, qui ex incomitata hac fiducia, aut periculis & præcipitio proximi fuerunt, aut nulla providentia, ac poenitudine reparanda damna acceperunt, nemo paulò prudentior illorum exemplis edoctus ad vltronea hæc discrimina se abiiciet. magis etiam cum cogitauerit, non vnum ardentis mulieris fraude circumuentum non semel, ad Iosephi illius magni necessitatem adactum fuisse: cum etiam mentita corporis inualetudine animi morbum mulier proderet, & alliceret non ignotis huic sexui illicibus prouocamentis, in omnem mollitiem compositis, cadentibus calidè crocodilæis lacrymis in interitum fufis, traheretque reluctantem, & ad periculum suum admirabundum, ac ad solitudinem suam serò propè trepidantem.

Et plures omnino spectatissimæ probitatis vidimus, quos non vnæ muliebres infidiæ cautiores, & tuta omnia timentes dederunt. quid? quòd intentatæ non semel fraudes ab iis, quarum castimonia nulla

vnquam vel tenui suspicionis vmbra notata fuerat? Quò cautiùs hîc procedendū: nec ætati, nec probitati, nec sanguini, ac propinquitati fidendum. Vbicunque solitudo est, damna metue, subduc ratem, sequentur tempestates: portumq; pete, dum integra naui potes; ne dum voles, insurgentibus indignabundis femineis fluctibus, excludaris littoribus, & frustra terram spectes, irretitus malis, vndisq; immane voluentibus delassatus, & ab inenatabili hoc profundo absorptus, sera ò nimum pœnitudine. Prudens nauclerus subducit nauem tempestati; fatuus immitit, & in medio cursu, fluctibus ludibrium factus, sorbetur nequidquam opem sociosq; circumspectās. retulit nimirum audaciæ præmium, exemplum posteritati factus, temerarij ausus. nec est periti medici curationem ad extrema reicere, dubio plurimum euentu, certo periculo: præcauere cùm potest morbum, medicaq; antè currere manu prudentis est. non est generosi militis, per ludum risumq; in vltronea se discrimina conijcere nulla spe gloriæ, dubio infelicis successus metu. & quis prudens explicabit vires, vitam, sanguinem, emolumenta si subtrahas, solaq; damna miniteris? campum virtus desiderat non

indignum amplitudine sua. vltro non accerfit pericula sapiens pramio frustrandus. si se obtulerint, si incurerint; fortiter excipiet, doctus antè animà ponere quàm cedere. Imitabitur Religiosus. non committet animæ suæ ratem infidis muliebris oceani fluctibus: nunquam certius sorbent quàm dum ludunt, dum serenitatem mentiuntur. auxiliariis hîc opus est copijs. nemo se fluctibus committit solum vitæ suæ prodigus, socias adiungit operas frangendis illis domandisque: euenturoque eminusque licet minitabundo, occurret morbo, nec vulnera expectabit in medelam: nec periculis se temerarius obiiçiet, pramio nullo, damno in interitû, ingloriamque mortem ruituro.

Præbet sanè sociorum desertor iustam Superiori causam ingentis diffidentia. vt nihil iam illi tutò credat, qui post magnorum incauta præcipitia eadem aggredietur. signumque omnino est aliquid ipsum moliri, quod secretum postulat, publicari timeat non potest hoc à virtute nasci, quæ nec testem, nec proditorẽ suum veretur. & serio monemur ab Apostolo: *Omnis qui male agit odit lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*
non

Ioan. 3.

non erubescit manifestari veritas, amat lucem. Fortiter idem Apostolus: *Quoniã Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus; mentimur, & veritatẽ non facimus: si autẽ in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societate habemus ad inuicem.* Hanc societate altẽ imbibimus, cùm illã sociorũ præsentia testamur. neq; certẽ talis aut offendit in tenebris; aut per nocturna præcipitia delabitur incautus, cũ diem secũ habeat sociũ: sol enim cuiq; diesq; socius est.

Et vt periculum absit, non consulitur socij integritati: cùm non vnus exclusus à socio pericula adiuerit, damnaque tulerit, nec quam innocentiam domo sociatus extulerat, desertus à socio retulerit. vt merito hĩc illud Prophetæ dici possit: *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Speculator omnis socius est: à cuius manibus deserti in interitũ socij animam iure deposcet Dominus. Neque tot exemplis doctus ignorare pestiferum solitariæ mulieris gladium poterat. Et vt periculum vtrunque absit, mali tamen suspicio abesse

non potest, quæ sola famæ lædendæ sufficit. quam quisquis sapit fugiet, memor plurimos hostium calumniis oppressos, ignavo exitu vitam finiuisse. neque se tantum sociumque, sed Religionem vniuersam in nominis discrimen vocat, cum vnius delictum trāseat in omnes. quid? quod inulta semel macula, ferè æternet, nec vlla temporis aut æternitatis spōgia deleatur. Plurimum deinde propagandæ proximorum salutis obesse hæc res solet: cum ex captata solitudine, sociorumque fuga, in plurimorum animis nascantur non castarum cogitationum opiniones: hinc fuga, à non castæ consuetudinis timore, vt minùs iam audenter se suaque fidei talium committant.

Remedia.

A Seria periculorum consideratione petenda erunt: ab exemplis etiam non postremorum virorum, qui pederentim his initiis ad malorum extrema deuenerunt. Neque potest desiderata hæc cum mulieribus solitudo, ac sine teste colloctio aut carere periculis, aut ab alio animo, quàm lapsui proximo proficisci: nam qui testem refugit, aliquid necessum habeat, quod ignorari desiderat, quodque vulgari me-

metuit. qui enim sua omnia non veretur
propalari, nec magis oculos humanos ti-
met, quàm omnia videntis Deis; gaudebit
etiam testium multitudine, eo magis extra
periculum & calumniam futurus, quo plu-
res habuerit dictorum factorumque suo-
rum inspectores ac censores.

Denique sociorum hæc associatio pro-
desse, nõ obesse potest; vitatio obesse, non
prodesse potest. ac tuta semper in re salu-
tis, dubijs, periculoque plenis præponenda
sunt. In rebus huius sæculi fortunæ se fors
exponere aliquis possit; in animæ & salutis,
stolidum est, intuta dubiaque sequi, tutio-
ribus neglectis.

A Superiorum deinde vigili cura reme-
dia petenda sunt, vt nullum in comitatum
dimittat; non erati, non eruditioni, aliisque
donis præfidens sine teste quemquam pa-
tatur: tutissima deligat; neque aut suos, aut
Religionem in æstimationis discrimen
adducat. Quòd si quem in hoc genere de-
liquisse deprehendat, det operam vt non
impunitus abeat, maximè ne exemplo
vnius, reliquis ad audenda paria strata vi-
deatur via.

Consultum etiam fuerit amouere tales
munere & loco, neque permittere, vt diu-
tius in aliqua sede pedem figant, ne dum
alicui

alicui diutiùs affiguntur loco; consuetudo & familiaritas enascatur, quam non raro secreti captatio sequi solet, maximè in iis, quos in hanc rem propensiores experientia docuit: quo magis illis inuigilandum, & ignibus his materia subtrahenda temporis est, ne ad remedia decurramus, cum flamma domum occupauerit, ac possederit vniuersam. Principijs leui manu malis occurritur. quòd si inualuerint, nec toto restingui flumine, nec vlla aut arte, aut scientia auerti possunt, vt à sola demum sectione medela sperari & possit & debeat.

Amorem in se excitet vocationis salutisq; suæ, nec magno molimine femineos hos vitabit scopulos, nec allidet ad hæc breuia salutis suæ ratem. solaq; integritatis instituti fama, omnẽ Religionis amatorem ab his cogitationibus auocabit: maximè si sibi periculorum vndique circumstantium magnitudinem serio proposuerit. in quibus à socio destitui idẽ est, ac si quis ingenti vndique hostili exercitu obsessus, armis ac propugnaculis se exuat, nudumq; ferro latus obijciat, cum socius cuique pro armis ac propugnaculis sit. Timeat proinde, diffidat exarmato robori suo. *à muliere enim initium peccati, & per illam omnes morimur.* non se suaq; credat il-

li quisquis sapit, memor Sapiientis: *Ne des Ecclt. 9.*
mulieri partem anima tuae, ne ingrediatur in
virtutem tuam, & confundaris. nulla verò
 maior certiorq; occasio in virtutem ingre-
 diendi, ac tanquam sub iugum mittendi,
 quàm cum solitudo amplum illecebrarū
 campum præbet. cum semotis testibus, li-
 beriùs illices excurrunt oculi, mollia na-
 tant labia, frons in dolum exporrigitur, tot
 compedes, laquei, retia, quot verba, magis
 etiam si fluant tanquam à crocodilo lacry-
 mæ. *nouissima enim illius amara quasi absyn-*
thium, & acuta quasi gladius biceps, pedes eius
descendunt in mortem, & ad inferos gressus il-
lius penetrant. Careret omni hoc periculo, si
 non careret socio. & ipsa sæpe solitudo è
 casta, non castam dedit; nec permisit quæ
 intrauerat innocuam innocentiam exire.
 Cauebit proinde seriò quisquis Deum, vo-
 cationem, se, sociumque amat, ne vel mo-
 mento infociatus mulieri adhæreat: cogi-
 tet nullum propè lapsum sociato euenisse,
 omnem infociatis accidisse. Et iam olim
 monet Hieronymus: *Si propter officium cleri-*
catus, aut vidua visitatur aut virgo, nunquam
domum solus introeas. & Solus cum sola secreto
& absque arbitro vel teste non sedeas. & Au-
 gustinus: *Vbicunque ergo simul estis in Eccle-*
sia, & ubicunque femina sunt, inuicem ve-
stram

Prov. 5.

Epi.
109.

stram pudicitiam custodite. Deus autem qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

CAPVT XLII.

*Indeliberata agendorum resolutio,
& executio.*

QVæ ferè præcipitio proxima est. lapsus sanè de propinquo minatur: neque enim prævideri res omnis tam subito, aut illarum circumstantiæ possunt: quarum neglectu labimur frequenter in peccata. Prudēs omnino seriò res, & quidquid illas circumstat, discutit, propinqua scrutatur & remota, nec præsentia modò, sed & futura, & quidquid è talis similitudine rei delectu, tanquam principijs semel positis, sequi consuevit, aut probabile futurum est. quæ qui negligit, rei nominis que sui adibit discrimina non leuia, cogiturque sententias suas ingenti sæpe rubore, famæque non vulgari iactura retractare, faterique errorem suum: non fuisse nimirum hæc aut illa à se præcogitata, negligentem discussionem, præproperam executionem, & vetus illud imprudentiæ, Non arbitrabar, non putabam.

Grauis hic error in Superiore est, qui &
iudi-

iudicis & medici personam præfert; gratiaque ex hoc damna tam vniuersim, quam singillatim dari solent.

Exempla in omni hominū genere reperies, militiae Ducibus, Regibus, viris magnis: quorum plerique præcipiti hoc consiliorum delectu, se rempublicamque vna ruina sepelierunt. Nec desunt exempla in Religionibus domestica, nō tantum temporalium rerum damno, sed magnorum virorum etiam præpropere exitu, dum in ferendis sententijs præcipites Superiores innocentes, magnosque, & Religionis gloriae natos, vno propè momento euerterunt.

Fugiet proinde prudens Superior hos temerarij ausus scopulos, & indeliberata præcipitia. Si accusator aut delator accesserit, perpēdet singula, nec intactum quidquam à discussione relinquet: disquiret num quid humani hīc intercurrat affectus; num quis proprius ludat amor; num quæ inerret æmulatio; acceptane, aut data iniuria; verbōne, aut factō læsus; num audita tantum, & ab alijs narrata. ingenium etiam vniuscuiusque tacitus secum discutiet; num pronus in credulitatem, in delationem, augendis rebus, etiam supra fidem extollēdis assuetus, pronus ad suspiciones: simul etiam: quis ille, cuius nomen defer-

tur,

tur, qua ante hoc tempus fama, qua integritate, quibus impræsentiarum moribus, qua fide in rebus versetur: qua apud domesticos externosque existimatione. nec erit difficile singula singulis conferendo, aliquid aut veri, aut probabilius rei sagaci indagacione cognoscere.

Illud in primis vtile, lentè in omni hac re progredi, nec quasi vno filo rem exequi, sed temporis aliquid intermedij concedere, si quo modo res moram patitur; ac per intervalla ad illam accedere. Maturefcunt sæpe res morâ, & concessum tempus veritatem reteggit: cùm multa frequenter intercurrent, quæ deliberantem quasi ducta manu ad destinatum veri scopum adducunt.

Habet hoc etiam locum in privatis. & plurimum calida consilia sæpe noxia sunt, maximè in rebus magnis, in quibus ferè gravissima incommoda altiùs habitant, ac in imo latent, quæ non facilè, nisi morâ eruas. tempus deposcunt, quæ consēpulta profundius iacent, vt in solem lucemque educantur.

Quare in omni re, quæ quoquo modo moram permittit, à præpropera sententia cauendum est, difficultatesque ac discrimina animo suo proponenda; & quidquid
metus,

metus, prudentiæ comes, suggerere potest: plusque semper aliquid timori, quam nimiae spei largiendum. minus enim plerumque metus, quam confidentiæ peccatum est; facilioremque timor veniam, quam præsumptio meretur. ac sæpè quam timor culpam contraxit, diligentia emendari potest: confidentiæ delicta perquam rarò emendes.

Bene Sapiens: *Vidisti hominem sapientem* Prou. sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. 26.
 Olim hæc verba D. Bonauentura: *Stultus* De 6. enim sibi non confidens, quarit consilium à sapientibus, ne decipiatur: ille autem de re plus quam debet, præsumit: etiam ubi errat, rectè se plerumque sentire deceptus putat. Inter omnes autem tentationes, videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet proprio sensui nimis inniti. Cùm enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli; qui hoc solum & totum reputat iustum quod ipse senserit, astuto aduersario ad varias seductiones sub specie boni, liberum aditum pandit. unde cautum est semper rectori consilia libenter audire, & humiliter querere. Et in hoc triplex utilitas consistit. Primò, si alij idem sentirent, quod & ipse, securior est quòd non decipiatur. Secundo, quidquid fecerit cum prudentiũ consilio, si aliquid inde euenerit contrarij, minus ei

Oo poterit

poterit imputari, quàm si de suo tantùm sensu
 fecisset. Tertio, quòd sæpe in merito humilitatis
 talis Deus det ei agnoscere per se, vel alium, quod
 antè non intellexit. hinc Moyses, cui Deus facie
 ad faciem loquebatur, consiliùm Iethro soceri sui
 gratum habuit & seruauit. Sunt autem duo ge-
 nera hominum, quorum consilia prudens rector
 non facile debet recipere, scilicet adulatores &
 detractores. primi istorum seducunt eum, ut
 magis de se, quàm expedit præsumat, iuxta illud,
 Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam
 gressuum tuorum dissipant. Secundi inducunt
 eum ut peius quàm debet, de aliis suspicando
 sentiat, & sæpe innocentes condemnet, priusquàm
 veritatem rei plenè cognoscat, dicente Scriptu-
 ra, Aures principum simplices, & ex sua natura
 alios aestimantes, callida fraude decipiuntur. Et
 malis quorundam suggestionibus regum studia
 deprauantur, ut eos, qui credita sibi officia dili-
 genter obseruant, & ita cuncta agunt, ut omni
 laude sint digni, mendaciorum cuniculis conuer-
 tur subuertere. Cum autem tribus de causis so-
 leat requiri consiliùm, scilicet propter emenda-
 tionem, ut discatur de quo dubitatur: propter
 auctoritatem, ut magis habeat vigoris, quod per
 tales consultum fuerit: & propter pacem, ne ha-
 beant aliqui occasionem murmurandi. propter
 primam causam consulendi sunt prudentiores;
 propter secundam nominatiores; propter ter-
 tiam

tiam, ad quos negotium pertinere videtur.

Quisquis proinde prudenter institueres res volet, consilia in re sua aliorum scrutabitur & sequetur. sic enim fiet

Primò, vt sententiæ suæ contra obtrectatores habeat propugnatores, quos fors habiturus erat oppugnatores. ferè enim omnes in contemptum neglectū rapiunt; & præteritos, spreto fuisse arbitrantur. quare probissima licet consilia damnant, probassent consulti, improbant neglecti. Quin aded, quos aduersarios & sententiæ tuæ hostes habes, si in consilium adhibueris, flectes, & plurimum quò voles, duces. tantum potest aliorum iudiciis detulisse. negligis? hostes iuratos cogita. qui si aperto Marte aut non audent, aut non possunt; ex insidiis, optima etiam ac laudatissima quæque, si alia negata via est, structis variè calumniis subvertere conabuntur.

Secundò, ne faciliè aliorum à vero certoque labaris. cum oculatiores ferè plures sint, resque è variorum iudiciorum concertationibus fortiùs discutiantur, certiusque cognoscantur. Nec nouum in humanis magnisq; viris ab infimis profutura discere. nolle illa ab aliena manu accipere imprudentiæ summæ. solius ingenij sui viribus præfidere, arrogantia maxima est.

O o 2 semper

semper verò prudentes, aliena consilia in re sua probarunt. Quòd si in quibusdam, propria, & in pectore cuiusque nata, alienis fortunatiora fuisse deprehendas; non tam ratione illa prudentiora, quàm euentu feliciora fuisse cogita. ab euentu autem res iudicare, demētice, & plebeij per omnia ingenij est, quod fortuitis potius casibus, quàm ratione res metitur. Fortunas aliquis suas, seque ipsum, cùm posset nauis, tabulæ in mediis furentis Oceani fluctibus commisit; ex ingenti hic præcipitio fortunata audaciq̃ue volutatione terram tenuit; imperitus natandi rapidissimis alius se vorticibus immisit factus pila fluctibus; ille in vnum aleæ iactum vniuersum patrimonium proiecit; inermem se nonnemo armatis quaqua hostibus obiecit; solus alter temerario ausu cum Magno Macedone, in armatam hostilem urbem se coniecit; quidam mulieri arcana capite luenda credidit. & feliciter illis res omnes prospereq̃ue successerunt. perierunt inter hæc millia, & temerarios conatus infortunato exitu signarunt. paucis admodum, felicioribus quàm prudentioribus, supra omne votum res illæ ceciderunt. non tamen ideo aut imitanda hæc aut probanda. neque laudem temeritas mereri potest. felici aliquē euentu

euentu beare potest, prudenti non potest. sed & fortunatus audire temerarius potest, prudens non potest: plus namque talis fortunæ quàm virtuti aut rationi debet, fortunataq; illius felicitas laudari, sapientia non potest. & quis neget eximiam aliquando gloriam, fortunæ potiùs, quàm virtutis beneficium fuisse?

Tertiò, vt in quocunq; infortunato rerum successu promptam excusationem habeat. suo nimirum non stetisse iudicio, secutum aliorum. fecisse quod sapientes in re sua solent, aliorum sententiam suæ prætulisse. Neque alia facilior venia est, quàm cum quis prudentū consilia secutus, euentus felicitate caruit. & magna ferè talis altaque pace fruitur quocunq; demum successu res euenerint, cum habeat hunc domesticū testem, Feci quod potui, quod debui, quod assolent prudentes, sapientiæ legibus obsecutus aliorum consiliis mea postposui. aliter res cecidit: humana hæc sunt. nec præcaueri semper damna, nec anteuerti fortuita, consiliis possunt: maximè cum à libera subdolaque voluntate alterius, quam nec flectere, nec scire etiam possumus, non rarò res pendeant. Nihil sanè facilius quàm prudentissimè cogitata inuertere. ad euerfionem causa vna

fatis, ad stabilieda plurima necessaria sunt. cumque innumeræ improbitati pateant viæ, virtutis vna est illa in plano, hæc in arduis sedem fixit. & euertere vni facillimū, quod vix plurimorum industria prudentiaque stabiliri potest. multis nimirū prudentia eget, temeritas paucis.

Nihil ergo inconsultò, maximè Superior, aggredietur, lubensque de minimis etiam sententiam aliorum disquiret, gaudebit discere, & gloriæ, securitatis, tranquillitatisque suæ non vltimam partem ducet, aliena consilia prætulisse suis. ita enim & meritam reprehensionē vitabit, & tot propugnatores quot consiliorum auctores habebit, & tutius certiusque res aggredietur, & in aduersis solatia opemque experietur; & si quando infelix, nunquam tamen temerarius audiet.

Remedia.

A Nimum ad deliberationem adferre ab affectu liberum, vt nihil antè certò tecum statuas; plurima tamē in vtramque partem valitura tacitus tecum cogites. Seriam deinde proponendarū rerum deliberationem, si tempus patitur, instituas, cum moneat Sapiens: *Omnia cum consilio*

Ecclesi. 32.

filio fac, & post factum non pœnitebit. Si negata mora est, ac quasi in arena consilia sumenda sunt, nec dilationem res concedit; ea tamen adhibeto, quæ præsens permittit conditio rerum: nec ab impetu aut fortuitis, sed à ratione feraris.

In consilium adhibere propositarum rerum non imperitos, & dandis consiliis assuetos: singula dein discutere, quæ obuia, quæque metuenda sunt, quæ speranda commoda damnaque, in omnem denique partem, propositam rem vertere. Benè Basilii: *Communicandum cum iis qui eiusdem* ^{Interr.} *nobiscum animi sunt, fideiq; atque intelligentie* ^{229.} *sua certum documentum dederunt. ut intentio nostra, si mala sit, corrigatur; si bona, confirmetur.*

Sanè ut alia omittam, consequitur serius deliberator, ut consiliorum suorum habeat patronos, parataque hac fruatur tranquillitate, Feci quod licuit; præter opinionem res ceciderunt; adhibui, quod in humanis solet, consilia prudentum. exitum, qui ferè fortuitus est, damnare possunt; præpropera ac indeliberata consilia non possunt, ubi diligens seriaque consultatio præcessit. Monet è Sapiente Gregorius: *Sine con-* ^{Pass.} *silio nihil facias, & post factum non pœnitebit,* ^{p. 3. c. 16.} *& palpebra tua precedant gressus tuos. palpebra*

quippe gressus praecedunt, cum operationem nostram consilia recta praeveniunt: qui enim considerando prauidet quid facit, gressus tendit, oculos claudit. pergendo iter conficit, sed prauidendo sibi metipsum non antecedit. atque idcirco citius corrui, quia quò pedem operis ponere debeat, per palpebram consilij non attendit.

Huc accedit, quòd in praecipiti agendarum rerum, & non deliberata resolutione, licet non infeliciter res ceciderint, eleuent tamen plerique si improbare rem non possunt, ac fortuitae rei prosperos successus adscribunt, non prudentiae imperantis.

Exempla sibi proponere, quibus haec agendi ratio ingentia damna dedit, exitu ferè infortunato. Plene his sunt omnium Regum, Principum, Reipublicarum, omni aetate & populo historiae, quae praecipiti ac indeliberato consilio, regnorum meminerunt, quorum facilius est nomina quam cinerem designare. ita temerario impulsu vno, tota totis agris consepulta iacent imperia, ignotissima posteritati, ni proditor calamus funesta nomina in exemplum prodidisset.

Remouenda denique ab omni gubernatione erunt haec praepropera & iudicij sui ingenia, quae magis ad obsequendum,
ac

aç imperata exequenda, quàm adimpe-
randum nata sunt.

CAPVT XLIII.

Diffidentia.

QVæ res vbi religiosam domum per-
uadit, nihil magni sperari potest:
nam siue Superior diffidat suis, siue Supe-
riori inferiores, damna sola timenda sunt;
aut sanè nulla in magnis arduisq̃ spe-
randa progressio est. iacent proinde do-
mus tales, ac quasi in ignauo sopore per-
eunt. nec quidquam præclarum sponde-
bunt, quamdiu diffidentia locum suum te-
nebit: vt frustra excelsa, aut in posterita-
tem abitura, aut in salutem multorum, ab
his animis expectes.

Ingens omnino languor diffidentiam
comitatur, ac spiritalis omnium rerum
nausea: nam siue subditus Superiori, siue
hic illi diffidat, siue vtrosque diffidentia
occupauerit; neglectus propè omnium è
timore natus sequitur, ac secretorum ple-
rumque consiliorum captatio: nam cum in
apertos non profiliant campos, ex insidijs
res aggrediuntur; dolisq̃, quod è virtu-
tum plano non possunt, consiliorum stu-
dio-

diorumque aliorum nascuntur euerfores, dum singuli indignantur, clam se quaedam fieri, & tacita iniri consilia.

Diffidentia hæc, Superioris si obsedit pectus, nulli quidquam credet, quod laudem mereatur, iam cum exequi ipse omnia non possit, alijs diffidat, fit ut angustissimis terminis fructus claudatur.

Decreascit deinde etiam animus inferioribus, nec se ad magna erigunt, aut conatum rebus admouent, cum Superiorem patiantur omnia etiam tutissima metuentem, nec se ad grandia extendentem, aut ad victura porrigentem manum.

Sed cum neque sua credant Superiori, fit ut tenuem Superior illorum cognitionem consequatur, iacetque in his omnis conscientiae redditio: ac si qua necessitas eos cogat, superficiem tantum radunt, non descendunt ad pectus, aut ad mala cor rodentia: quo fit ut Superiorem necesse sit in graues errores incurrere, cum committat ignoratione suorum non committenda, muniaque credat, quibus tuto credi non possunt, nec sine discrimine sæpè suorum, nominisque boni corporis vniuersi.

Graues deinde vtrimque nascuntur animorum dissensiones, mutuae suspiciones, criminationes; clancularia deinde
con-

consilia mutuam gloriam, nominis apud domesticos externosque æstimationem, ad honoratiora promotionem, conatusque omnes, subdolis machinationibus euertendi.

Pessimum illud, quòd ferè è suspicionibus ad aliorum damnationem decurrant. nam cum sibi quisque diffidentia testis sit, fraudumque è diffidentia natarum; fit vt eadem de alijs sentiant, suo reliquos pede metientes: è quibus deinde suspicionibus non tantum ad iudicia ferenda descendunt, sed ad cogitationes suas opere exequendas, omne studium in eo ponentes, vt structis socium insidijs præueniant; metuentes ne paribus aliorum dolis circumueniantur.

Aperit diffidentia hæc viam ad politicissimum, cum tectis omnia dolis repleantur. socios simulato verborum lenocinio demulcent, candorem simulantes, quo facilius securiusque venena sua spargant. adulationibus plena sunt omnia, dum amicitiam fiduciamque simulant, diffidentia pleni.

Nasci hoc malum consuevit

Primò, ex ingenti fastu. quo qui laborat nullum sibi prudentia, rerum experientia, ingenio, eruditione, probitate parem arbi-

bi-

bitratur: damnatque in his reliquos, etiam Superiorem. quare cum prudentia illius virtuti que diffidat, fit ut se sua que illi non credat.

Secundò, ex nudis suspicionibus. cum de mutua in se voluntate affectu que diffidunt, de mutua secreti fide, candore, probitate. id que è causis è sola suspitione de sumptis.

Tertiò, è pusillanimitate quadam animi. cum non alijs tantum, sed sibi, virtuti, robori, ingenio, eruditioni, eloquentia, memoria, promptitudini, dexteritati, probitati, constantia diffidunt.

Quartò, è recondito & inlatenti malo. cum noxia quadam verecundia ægritudinem suam Superiori inferior detegere veretur; aut sane tacito quodam improbo metu, quo impedimentum timet à Superioris iniiciendum, si detecta consilia fuerint.

Quintò, è diffidentia quadam diuina. *Luc. 10.* qui si Domini verbis, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit,* fidem adhiberent, perfacile se sua que Superiori crederent. vnde fit, ut ferè tales Deus relinquat in manu consilij sui, destituat que caelesti sua gratia, ac ductrice manu sua in via spiritali, in qua errasse æternum est.

Quòd si labi tales contigerit, nec consulen-

fulentem, nec eleuantē, nec propugnā-
tem, adeoque nec miserantem reperient.
sequiturque ex his initiis perpetua quæ-
dam inquietudo mentis. nulla enim ibi
pax, malacia nulla, sed æternæ infelices
tempestates ac iactationes sunt, æternusque
naufragij metus. Miserrima omnino con-
ditio, quibus nulli, & qui nullis amici. qua-
les omnes illi sunt, qui hoc diffidentia ma-
lo tenentur.

Contingit verò non rarò tales dum do-
mestica diffidentia laborant, ad externa
consilia decurrere, etiam ad muliebria:
cùm ita ferè natura comparatum sit, vt in
alicuius sinum nostra diffundamus. diffi-
dimus domesticis, imus ad externos. quæ
res quanta secum trahat mala, nemo non
videat. quòd si quem fors inter domesticos
idem detineat morbus, mutua venena bi-
buntur, mutuo toxico perituri, quo citiùs
pereant. nec res hæc tunc in paucis stare
solet, plures occupat. donec totam fami-
liam lata diffidentia occupauerit.

Remedia.

SI Superior vniuersim hac diffidentia in-
Somnes labore, nec aut aliorum exem-
plis, aut rationibus erigere se potest; con-
sultius

sultius est talem aliis occupari, nec gubernationi admouere: sin in vno alteroie consistit hoc malum, nec deponere potest, à personarum mutationibus remedia poscenda sunt.

Si laborat hac diffidentia inferior exinato quodam naturæ metu, ab omnibus omnino Superioribus animandus erit aliorum exemplis, quibus ea fiducia felicissimè cessit, & cedit in dies. in qua re plurimum potest Superiorum exterior benignitas, fiduciæ re ipsa ostentatio, familiaritas, affectus verbis etiam adiutus, animatio rebus prosperè gestis, ad maiora etiam prouocatio & incitatio, additusque animus laude.

Si non vltra vnum alterumue Superiorem diffidentia hæc protenditur, postquã varia frustra remedia tentata sunt, ad locorum mutationem decurrendum erit: plurimum tamen in hac re potest discreta Superioris charitas, fiduciæ ostentatio, blanda compellatio, animusque liberalis, & heroico similis: colloquia etiam interdum prolixiora, associatio in rebus arduis, in consilium etiam nonnunquam magnarum rerum euocatio, si personæ qualitas patitur.

Proderit hîc diuinæ in se fiduciæ pro-
uocatio

uocatio : qui non patietur fidentem in se
 in fraudem impelli . nunquam proinde
 res humana metiatur prudentia, metiatur
 diuina . falli hæc non potest, fallere non
 vult. stabit sponsonibus suis Deus : *Super Psal. 90*
aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis
leonẽ & draconem. mentiri non potest Deus.
 addit: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum:*
protegam eum, quoniam cognouit nomẽ meum.
clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso
sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo
eum: longitudine dierum replebo eum: & osten-
dam illi salutare meum. & antè: Cadent à latera
tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te
autem non appropinquabit. Quæ sperari pos-
 sunt certiora, quæ maiora: audeat sperare
 homo, non patietur se vinci Deus, & ma-
 iora votis dabit, docemur hoc omnium æ-
 tatum exemplis. erigat proinde se in spem
 magnam, & audeat sponsore Deo in Su-
 perioris sinum se suaque profundere, po-
 sita noxia verecundia. vulnera retegat. re-
 texisse sæpe curasse fuit. vt non tam se-
 quatur, quàm comitetur refectionem cu-
 ratio. Et sanè magnæ hic candor conso-
 lationis mater est, tranquillitatis ac secu-
 ritatis magnæ. facile hoc erit humili, &
 submissè de se sentienti. gaudet hic depri-
 mi, & beneficium arbitratur posse latere.
 scit

scit ille à solius Dei iudicio veram magnitudinem tenuitatemque pendere. incerta humana sunt, & innumeris ferè erroribus permista. ille errare non potest, decipi non potest. quare illi soli innititur, certus de euentu : securus de præmio.

CAPVT XLIV.

Dissensiones.

Certissima Religionis, licet optimè constitutæ, pernicies. nam cùm mutuo illam amore, tanquam vinculo colligari, tanquam glutino cõiungi, tanquam propugnaculo roborari, nemo ignorare possit; fit vt qui illa dissoluit, quidquid in Religione firmum, solidum stabileq; erat, euertat: vt nihil iam expectare debeamus, quàm vniuersæ ruinam. ita vno hoc malo mala omnia continentur.

Amore enim minima crescere, maxima dissensionibus decrefcere norunt omnes: illo stare etiam per se imbellia, ac aduersantium rabiem excutere vt pilas; hac validissima, etiam quæ sæculis steterant, momento propè corruere videmus. nulla sanè tam mollis manus, quæ non ad miraculum & prodigium, amore si constringatur, per-

stet

stet inuicta, minis, furoribus, tempestati-
 bus superior. Si ceciderit, hostium mole,
 veriùs quàm robore oppressa, non cadit
 inulta, non ingloria, hostili sanguini inse-
 pulsa; minitantiã etiam post mortem ad-
 uersa ostentat vulnera, inimico cruore tin-
 cta, ipsoquẽ adeò emortuo vultu nusquam
 animos defuisse ostendit.

Nulla contrà tam firma manus, tam ro-
 boris plena, armata licet sæculorum fer-
 ro, propugnaculis cincta, ingenio adiuta,
 exercitatione roborata, quæ non mutuis
 dissensionibus diuisa collidatur, & ruat
 nullius alterius impulsu. etiam rupes & sa-
 xa si disiungas, solis imbribus colliquecunt;
 tam molli elemento tam firma validaquẽ:
 adde calcem, molle vinculum, sed vincu-
 lum tamen; nec fluctibus, nec irato mari
 cedunt: infrendeat licet, fauasquẽ barba-
 rasquẽ intentet minas; rident efferam
 hanc rabiẽ, omnibusquẽ superiora, au-
 gustum extollunt verticem cedere nescia.
 tantum prodest colligari. intuere paleam;
 quid fragilius? conuolue in fasciculum,
 nulla Herculeã dextera cõminuat. serico
 quid tenerius? conuolue in funem nauti-
 cum, quæ Samsoneã manus confringat?
 vt iam facilior videatur columnarum eli-
 sio, ærearum portarum euulsio, tot homi-
 num

Pp num

num asini mandibula cædes, totque Herculei labores, quàm tenerrimarum, si singula spectes, rerum comminutio. vsque ad eò constringi mutuoque innodari iurat.

Sanè vt nihil in Religione nobilius amore est, nihil quod in omnium animis oculisque maiorem admirationem excitet, nihil quod illam validiùs firmet, nihil quod hostibus magis formidandam, & inuictam reddat, nihil quod ad æmulum etiam stuporem & confessionem magis exornet ac illustret: ita nulla illi perniciosior pestis obuenire potest, quàm quæ tanquam vna falce demetit hæc magna, vna diuisione nudat hoc ornatu & robore. euenire hoc mutuis animorum dissensionibus, etiam pueris decantatum. vt nil miremur incla-

Prou. 6. mantem Sapiensem: Septimum detestatur anima mea, qui seminat inter fratres discordias.

Surgunt denique ex hoc malo mutua æmulationes, inuidentiæ, liuores, oblocutiones, risus, depressiones, contemptus, detractiones: nec quidquã sperari laude aut gloria dignum potest, cum plus solis his dissensionibus decedat deperatque, quã singulorum labor & industria spondere audeat: plusque dissentientes hæc linguæ deuenustent, quàm singulorum conatus collustrare possint. neque Religio iam vlla est,

est, quæ solo amoris quodam nexu stare solet; hunc qui sustulit, illam de medio tulit: neque enim diu stare potest, quod nullo vinculo colligatur, quodque omni parte dissectum iacet, quod armis exutum, nudum ostentat latus inimico ferro, quod viduatum clypeo & protectrice dextera iugulum præbet hosti, nouacula secandū.

Habemus hæc cōfirmata à Domino: *Omne Mat. 12 regnum diuisum contra se, desolabitur, & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se non stabit.*

Contingunt hæc Religioni, mutuo amore spoliata, quo vno inuicta stabat hostibus terror, minis omnibus altior, cedere nescia, ignara commoueri, nulli ceruicem iugo, præterquam Christi edocta flectere, nulli potentia decrescere, inferorum etiam potestatibus timenda; cum per ferrū & sanguinem, perque mille pœnarum genera, ludus illi esset, ire ad Christum suum: rosæ & violæ, ignis & flammæ, per quas purior iam animus euolabat in amati sui finum. at vbi nudata amore, & per hunc spoliata armis, propugnaçulis exuta, propugnantibus destituta, inarmatū præbuit corpus; facta est ludibrium hostibus, puerisque materia risus, feminisque adeo ingens diuersaque fabularum narrationumque series. stabat amor mutuus, mutuo sociatus

nodo: stabat Religio orbi miraculum: per-
iit amor? iacet illa quocunq; plebeio pro-
terenda pede. stat amor? quot hostes, tot
admiratores; quot æmulos, tot imitatores;
quot amicos, tot laudatores habet: eua-
nuit amor? tanquam leui spongia rustica
manu delentur hæc magna. stat amor?
mutuus fluit sudor, mutuo labore prouo-
catus: elanguit amor? concrescit sudor
mutua ignauia constrictus. & quæ fluebant
flumina, vicinæque rigabant pascua, densa
concreta glacie iacent. euenitque quod
in ampla hereditate, cum dissentientibus
animis, decurritur ad forenses rixas, certa
perdēde hereditatis breuia: vt, sicut ascitij
sanguisugæ quidquid erat in lætissima for-
tuna sanguinis boni, pestifero sucu hau-
riunt; ita alieni comedant robur nostrum,
animi nimirum opes, mutua antè amicitia
felici euentu partas, mutuis nunc dissen-
sionibus tanquam leuissimam paleam dis-
sipandas; vt qui fuimus terrori, ludibrium
nascamur hostibus, & victoriæ illorū am-
pla materies, horreisque illorum fecunda
nimiū messis. Nulla iam propè cura salu-
tis proximorum, dum sibi student singuli,
laborant sibi, commodisque vacant suis,
insidiantur alienis, mutuosque evertunt
conatus, facti mutuo domestici hostes: à
qui-

quibus ne oculatissimus quidem, & in omnem partem annorum experientia præprouidus se tueatur.

Ab externo non magno se fors negotio quis defendat, ab eiusdem contubernij, propè impossibile est: maximè si foris inimica oppugnet acies, qualis ab inferorum rabie, à sæculi illecebris nunquam deest. semper hostilia stant foris agmina: domestica si accesserint insidiæ, mutuis animorum dissensionibus excitatae; nulla iam spes super. & concidit etiam valentissimi animus, ubi præter externum ferrum, domestica patitur tela: cùm exsiccati sudores suos sentit inuidentiæ panno, ne fecundo fluxu suo proxima rigent prata rore suo destituta; cùm non infortunatè sparsa locuplete manu sua semina in plurimarum salutem animarum, exuri videt æmulationis flamma; cùm in seriorum laborū procursu ad viuum proscindendo, subdolas suorum perfert machinationes: quibus tanquam domestica falce, lætissimi culmi, diuite spica vestiti, in viridi etiam tum spe luxuriantes præscinduntur.

Et quis animus sit ad magna, aut cui tantum robur, qui, dum socios patitur hostes, in externum feratur hostem, & ad generosos ausus protendat dexteram? cùm non

P p 3 tan-

tantum domestico destitutum se sentit auxilio: sed pati hostes, quos habere debebat propugnatores, & pro auxiliariis copiis procurstantes inimicas acies sustinere. dura hæres, & quæ mortales superet vires. Quare ut primum se prodit interna hæc animorum colluctatio, tanquam dissectis quaqua nervis, languescit omne robur, & generosior cuiusque mens tanquam fulmine icæta concinerefcit, abitque in vagum pulverem ventorum lusum.

Iam ut primum ad externos animorum hæc dissensiones promanauerint, quid sperari potest, quid timeri non debet? nam ut silentio diu premantur, nec erumpant aliquando foras, optari potest, sperari non potest. neque enim diu contineri hæc flammæ possunt, quin depulso cinere prorumpant in apertum: hinc verbis, ibi signis & factis, alibi contrariis studiis; quanquam subdola primum circuitione, inde plano quodam odio produntur: quæ res omnem omnino spem sementis bonæ funditus evertit; cum etiam eant in partes externi, singuli que suos tueantur, facti suorum patroni: magis etiam quando delabimur ad protectrices, & agmina iam mulierum pro suis pugnant, insurguntque pro innata sibi impotentia in æmulos patronorum ductorumque

rumque suorum. unde ingentia prorumpunt scandala, nullo torrente, ac ne lacrymarum fluminibus, aut quacunque posthuma poenitudine diluenda.

Exulat deinde omnis pietas, cum & Christus exulet ab illa domo, à qua mutua exulat caritas: neque enim aut ille dissentientium pater esse potest, aut hi eius filij.

Beati nimirum pacifici, quoniam illius filij vocabuntur. Matt. 5.

non sunt ergo filij animis dissentientes. at ubi nulli filij, nec pater est. Infelix conditio, ac miseranda familiae constitutio; quæ cum ignoret Deum patrem, nec hereditatem sperare potest, solis filiis promissam, solis largiendam. sed neque discipuli Domini sunt. cum ipse dicat: Ioan. 13.

In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

neque Deum diligunt, cum audeat discipulus quem diligebat Dominus: *Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est.* 1. Ioan. 4.

neque enim est dissensionis Deus, sed pacis. & 1. Cor. 14.

Mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. additque illud testatissimum amoris diuini signum: 1. Ioan. 4.

Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est. Ut enim mutua animorum dissensiones densam inter Deum & nos iniiciunt nubem, imò & noctem, quæ lu-

cis illius prospectum omnem adimit: ita mutuus amor pulsus tenebris, discussaque diffensionum nebula, prospectandum nobis Deum tradit: eo certius, quo potentiore mutuo ardemus igne, mutuaque castiore ardemus flamma, diuinorum radiis excitata.

*In Past.
par. 3.
c. 24.*

Fortiter Gregorius in diffensionum auctores insurgit: *Audiant iurgiorum disseminatores, Beati pacifici quoniam filij Dei vocantur, atque è diuerso colligant, quia si filij Dei vocantur, qui pacem faciunt; proculdubio Satanae sunt filij, qui pacem confundunt: quia nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis, nihil est desiderabilius diabolo extinctione caritatis. Quisquis ergo seminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiaris seruit. & alibi: Quòd si Zelum amarum habetis inter vos, & contentiones sunt in corde vestro: nolite gloriari, & mendaces esse aduersum veritatem. non est ista sapientia descendens de sursum, sed terrena, animalis, diabolica: quæ autem de sursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica. pudica videlicet, quia castè intelligit; pacifica autem, quia per elationem se minime à proximorum societate disjungit.*

*Ibid.
s. 23.*

Reme-

Remedia.

Validè secare, quicquid huic animo-
rum coniunctioni contrarium est :
nulli & nusquam parcere. sola pietas hęc
est sœuire ferro & ignibus. initiis tamen
maximè insistendum, seriò in omnem par-
tem inuigilando, secando graui admoni-
tione; minis ac pœnitiis etiam terrendi
auctores: spiritualibus exercitiis domandi,
priuatis publicisque pœnis, interdictione
etiam consuetudinum ac familiaritatum
aliorum, fortibus per hebdomadã exhor-
tationibus, vt totis viribus insurgatur in
hoc malum. nec quidquam in hoc genere
tam leue, quod non graue habeatur.

Iuuabit in primis seria sollicitudo Præ-
fecti spiritus, qui acrioribus monitis, re-
mediisque etiam seuerioribus sœuiat in
auctores: nunc terrendo, nunc blandè et-
iam monendo, nihil eorum omittat, quæ
ad excindendam hanc pestem valeant.

Quòd si pergat tamen, serpatque hoc
malum, ad remedium vltimum, dimissio-
nem veniendum erit. neque vlli in hoc ge-
nere parcendum. Magno sanè beneficio
Religionem affecerit, quicumque à reliquo
corpore dissensionum auctores seuerit.

P p 5 sœuit,

sequit, qui parcit; beneficium, qui secat, præstat, bis clemens.

Qui verò in se has animorum alienationes sentit, pericula secum consideret, damna, infelicesque auctorum talium exitus. quare si quid offensæ intercurrerit, nunquam noctem nocti superinducat, memor

Ephes. 4 Apostoli: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Expressit hoc versu Orientius:

Pelle odium, contemne minas, depone rigorem,

Offensam teneant tempora nulla tuam:

Vt te sol blandæ seruantem vincula pacis

Deserat abscedens, inueniat rediens.

Matt. 5. & *Si offers munus tuum ad altare: & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Complexus id vno versu Prudentius:

Nil placitum sine pace Deo, non munus ad aram.

Benevolentie proinde studiis præueniat omnes: familiariusque cum iis agat quos alieniores expertus fuerit. digniores illis partes cõcedat, bene de absentibus loquatur, ac laudet etiam: peculiareque pro iis ad Deum preces fundat; pœnitentia etiã quoties deliquerit, vltro sibi aliqua irrogata.

Neque interim cogitandum est, omnes semper, quocumque etiam studio conatuque

tuque adhibito, futuros iudicij nostri. imò stolidum est, omnium iudicia ad nostrum transferre velle: stolidissimumque dissentire voluntate, quia iudicio dissentimus. neque enim sperandum est, posse omnes in humanis ad eandem iudicij normã traduci. fatuusque illorum error est, qui cum aliquem viderint iudicio, & voluntate differre arbitrentur; cum amicissimi mutuis frequenter iudiciis, in maxima voluntatis conjunctione, dissideant.

Iuuerit verò plurimum potentem in se diuinum amorem excitare. quo tanquam ingenti supposito igne, ardentem in proximos amoris flammæ exurgant: omnesque dissensionum nubes, valido diuinorum vento pellantur.

CAPVT XLV.

Detractiones.

Nascitur hoc malū ex inuidia & odio, dum felicioribus aliorum successibus inuidemus, nec assequi possumus; atque hinc odia, & animorum alienationes.

Ex æmulatione: dum pares esse volumus, aut etiam superiores. hinc mille cogitantur modi, paria aut etiam maiora consequendi; ac si probi probatiq̃ue ha-
beri

beri non possunt, à minùs probatis, impro-
bisque subsidia petuntur; & quod virtus
non potuit, vitium reperit. scelera nimirū
fertilia sunt, & fœcundam hisce cogita-
tionibus viam sternunt; ac quod non po-
tuit pietas, improbi mores inuenerunt &
dederunt, vt, si aditus omnes clausi sint
probitati, tota improbitati pateant ostia:
donec tandē decurratur ad illud notum,
Sociorum detractio. vt his demum gradi-
bus semitam insternant sibi ad commodi-
tates & nomen magnum.

Ex habitu malo prauoque, cū male-
dicendi consuetudine altè hoc malum im-
bibimus: tunc enim etiam non cogitanti-
bus elabitur nociturum telum, eliciturum
sanguinem. grande malum, cū quasi per
iocum in consanguineo ludimus iugulo,
& ridentes barbara ferocitate in propin-
quo pectore sequimus. Efferū, & infra bel-
luas id semper fuit, mutuo inter mensas
fercula que madere sanguine, & vulneri-
bus coronata circumducere pocula, ma-
gis etiam sanguine potari. At ego nescio
an immanius crudeliusque sit, inter ludi-
cras narrationes cachinnis sæpe & salibus
conditas, sociorum famam spargere, quæ
vitâ ipsâ honoratissimo cuique carior esse
debeat. illa semel ponitur, semel morte vna
fini-

finitur: fama cui semel calcatur, mille mor-
tibus cadit, & ad singulos auditores noua
eade funestatur.

Ex iudicij solertiaeque obtentu, dum
ex dictorum factorumque alienorum so-
lerti indagacione, iudicij famam venamur.
hinc dicta saepe factaque, quae nec dicta,
nec facta, nec cogitata vnquam; dubia
pro certis, falsa pro veris, coniectanea pro
compertis narrantur, singuli que tales sunt,
quales sibi prona fingit solertia: quae dum
vera non inuenit, falsa comminiscitur,
contenta laesisse. certa incerta que pro eo-
dem habentur, si cecidit, qui patitur, qua-
cunque ex causa, parta victoria est; & tri-
umphu materies est, socium praueuisse;
eo ferè maior, quo innocentior cecidit:
nam nocentē prostrauisse, non magnum,
& vix in tali inuidiae locus est. magnum
sit oportet & illustre, quod in aemulatio-
nem prouocet; è qua postmodum tanquam
è foecunda matrice ingens detractio-
num soboles nascitur, nulli magno parcitura.

Ex zeli, & communis boni aut priuati
alicuius praetextu, iustitiaeque, ac maioris
etiam gloriae Dei, sub boni nimirum spe-
cie, in fratrum saeuimus iugulo: nec crimē
arbitramur, cui praefigitur nomen hone-
sti, reuera proprij honoris & gloriae aut
com-

modi causa. tantum potest amor proprius, scelera in virtutem vertit, & illius stola crimina vestit, palla tegit, sanguinemque fuisse, pepercisse est: nam cum crudele habeatur in socium sauire, prætexitur immanitati virtus; ita tyrannidi iustitiæ præfigitur nomen, & persecutor gladius inuenit in Christiano sanguine quod damneret, contemptum legum & deorum. Neque vnquam crudelissimo cuique ferocitati suæ causa defuit, nullusque in sanguinem propter ipsum iuit: nemo in famæ alterius detractionem propter ipsam; semper aliquid quod improbitati suæ obtendat, inuidia proprii amoris soboles inuenit.

Mala, quæ hinc nascuntur, ingentia in omni Religione sunt.

Primò, pacem turbant propriam: neque enim potest in vera pace esse, qui internam circumfert turbarum & inquietudinum causam.

Secundò, alienam etiam pacem conuellunt, cum causam præbeant aliis turbarum internarum, suspicionum, alienationum, ac in varia consilia & studia impellant: nam ubi se quis sociorum insidiis peti videt, exiit socialem animum, induit inimicum; & prætexitur hostilitati virtutis

nomen, propugnatio nominis sui, è qua in alienam decurritur oppugnationem, tanquam propriæ tuitioni necessariam. Ex his initiis quantæ exurgant commotiones, nemo non videt.

Tertiò, charitatem, mutuamque animorum coniunctionem scindunt: quæ consistit in benè de se mutuo consentientium concordia, ut idem sapiamus, idem sentiamus omnes.

Quartò, vniuersum Religionis robur eneruant, quod in mutua animorum coniunctione consistit.

Quintò, minuitur deinde Dei & Religionis gloria: cum enim proximis detrahitur, redduntur minùs idonei Dei gloriæ aut Religionis propagandæ. nam quis se suaque illi credat, cui quidquid erat æstimationis bonæ (qua ferè sola mortaliù plerique trahuntur in sequelam) vocatur in discrimen, omnisq; profeminandæ virtutis (quæ fama plurimùm continetur) spes linguarum istarum nouaculâ præscinditur?

Sextò, vulnerum etiam multitudine malignitas dignoscitur. quoties enim ad novos semel iaculata detractio mittitur, toties pro delicti grauitate, aut vulnus retulit, aut cecidit proximus. ita omnium
au-

auribus aut cadit, aut vulnus accipit, cui detrahitur. Fortiter & verè in hac re Sapientis: *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem lingua comminuet ossa. multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transiit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus. iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum areum est. mors illius mors nequissima, & vitilis potius infernus quàm illa.*

Septimò, ex restitutionis dein difficultate delicti huius magnitudo crescit. semel enim opinio vagata, serpit ad plurimos, obambulat prouincias, ac non rarò Religionem vniuersam, vt notissimus iam sit omnibus, cuius nec plerique capillum norunt. Laudas quem antè vituperasti? nihil agis: prima enim validiùs inhaerent, & iam abierunt ad plures; maximè cùm nocitura foecūdiùs serpant, profutura seriùs proueniant. Quòd si cōtingat hunc deligi in Superiorem, quanta gubernationē illius turbant praiudicia? quàm diffidentes reperit subditorū animos, ac tuta etiā omnia metuentes? quid? quòd non rarò infamia hæc eat ad externos, cū pari inter eos facilitate, qua inter domesticos parietes, euulgētur.

Octa-

Octauò, auget magnitudinem mali, quòd in absentes & ignotos sæuiant hæ linguæ; nec tuitioni locus, cùm qui patitur non rarò vulnera sua ignoret: aut si sciat, nesciat auctorem. ita incauti & ignari obruuntur.

Nonò, crescit criminis huius grauitas, cùm non in vno, aut paucis capitibus consistat, sed ad vniuersum transeat corpus: hinc vnus infamiâ tanquam flammâ, vniuersum corpus amburitur. ita crudeles in omnes sunt, quicunque in vnum sæuiunt. nam cùm ea sit in Religione conjunctio, vt vnâ veriùs animam in pluribus corporibus, quàm plures dixeris; fit vt vulnera in omnes eant, ac per vnus latus contrucidentur omnes.

Augetur improbitas, cùm sub commiserationis cuiusdam velamento nocitura venena sparguntur. vnde illud Bernardi:

Detractores autem quodam simulata verecundia furo, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. videas à detractore alta præmitti suspiria, sicq; cum quadam grauitate & tarditate, voce mæsta, dimissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt corde non inuido, sed magis condolenti affectu quàm malitiosè

Serm.
24. in
Cant.

Qq pro-

proferrī. Doleo, inquit, vehementer pro eo quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. & aliàs mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud: sed per me nunquam innotuisset. at quoniam per alterum patefacta res est, negare non potui, reuera ita est.

Remedia.

A Frequenti examine conscientia pe-
tenda.

A seriis, ante omnem congressum & confabulationem, propositis, tanquam in præcautionem animo conceptis.

A certis statisque post omnem linguæ lapsum vtroneis poenitentis.

A Superiorum vigili cura, grauibusetiam in delinquentes irrogatis poenitentis. Neque diffiteri possumus, ignauâ Superiorum conniuentiâ ea incrementa hoc malum sumere, vt tandem à desperatione remedia sumenda sint, duriora nimirum & acriora, etiam resectione à reliquo corpore, ne vniuersum contagione hac periclitetur. Ita delatores falsos flagellis ac fustibus cædi, & in exilium pelli Vespasianus imperauit; viuos etiam exuri Augustus mandauit; neruis cædi Mauritius Imperator; capitali poena affici M. Antoninus Pius mandauit. Et sanè nunquam in hoc deli-

delicto parcendum. omnis hinc pietas à sa-
uitia nomen sumit. ille pius, qui vt vniuer-
sim prospiceret, sicut in vnum, aut paucos
huic vitio obnoxios, in exemplum alio-
rum, in medelam omnium.

Iuuabit etiam ex mente Sapientis ob-
noxios huic vitio fugere, congressum vita-
re. *Cum detractoribus non commiscearis, quo-* Prom.
niam repente consurget perditio eorum. 24. quin
etiam tales cum regio Propheta persequi.
Detrahentem secreto proximo suo hunc perse- Psal.
quebar. vultuque displicentiam ostendere: 100.
vt enim *ventus aquilo dissipat pluuiam,* ita Prom.
facies tristis linguam detrahentem. & vniuer- 25.
sim dicere cum non vno hinc possumus, Tolle
auditores, non erunt detractores. vt pari
vtrosque sententia feriat D. Bernardus:
Detractor & lubens auditor vterque diabolum Inferm.
portat in lingua. si pauper es, vilem & abiectum
reputat; si diues, ambitiosum, auarum, cupidum;
si affabilis, dissolutum; si predicator vel doctor,
honoris & humani fauoris questitorem; si tacens,
inutilem; si ieiunans, hypocritam; si comedens,
voratorem.

Cum verò detractiones frequenter na-
scantur, ex aduentantiū hospitem liberio-
re sermocinatione, curiosiore indagatio-
ne, mutuaq; in aliorū vitia moresq; seruta-
tione, omni conatu insudandū erit Superi-

Qq² ori,

ori, vt non patiatnr tales impunitos abire. nec in hospitibus ipsis à feria maturaq; monitione abstineat. In domiciliorum etiam mutationibus, cauendum sedulò ne quacunq; è caussa in aliorum mores curiosius inquiramus; ne & narrantibus detractionum causam præbeamus, & nos ipsi varijs postmodum circa tales suspicionibus ac diffidentiis iactemur.

Cauendum etiam, ne quas quisque patitur difficultates, etiam consilij & auxiliij prætextu, in aliorum promiscuè sinū profundat, cum ferè graues his rebus detractiones misceantur. quare siquæ nos necessitas premat, Superior consulendus erit, aut domesticus Confessarius, aut si quis vir grauis prudensq; in ea familia sit, de cuius integritate, fide, secretique custodia nulla ratio dubitandi sit. in qua tamen ab omni detractionum genere abstinendum erit, maximè si Superior inuoluatur.

CAPVT XLVI.

Delationes è suspicionibus natae.

SIne illæ verbo, siue scriptis litteris fiant, Snoxia in primis sunt. ac nescio an res vlla perniciosior, dum è suo iudicio singu-
li

li metiuntur alios, & consequentias è mente sua nectunt è quibusdam aut visis, aut auditis, quas pro testatis verisq̄ue venditant. immanis, planeq̄ue effera in Religione consuetudo. audita plerumque ab alijs, nulla penitioris cognitionis examinatione præmissa, nulla narrantis ac deferentis fide, & credimus ipsi, & spargimus. nec auditis contenti, aliud ex alio inferimus: & quæ intulimus, tanquam dicta factaq̄ue referimus. quæ si propiùs certiusq̄ue disquisuerimus, nec dicta, nec facta, ac nec cogitata quidem reperiemus. & faciles plerique ad has res sunt, pariq̄ue qua credulitate sunt, facilitate ad scribendum sunt. indigna planè res religioso calamo, & quæ plus habet barbaræ feritatis, & gentilitiæ ac politicæ improbitatis, quàm religiosæ simplicitatis, aut zeli.

Neque ego video, quam in religiosa mente hæc res excusationem admittat. nimirum, Putabam, & verebar, ne Religio in hoc viro, dicto, facto, detrimentum pateretur. volui occurrere damnis venientibus. Excusationes ab odio, & impijs æmulationibus, vel ab insigni stolidaq̄ue impudentia natæ. Sanè in rebus potissimum grauibus, & quæ famam nominisq̄ue estimationem tangunt, non nisi certa testa-

taque dicenda esse, Christiana caritas monet. nam quis vel Sanctorum innoxius habebitur, si è suspicionibus ad delationes procurrendum erit? & quisnam delatorum horum est, qui sibi hoc euenire gaudeat? imò quis non ad similes delationes è suspicionibus natas perhorrescat? quis nõ inclamet, dignissimos hosce narratores scriptoresque omni poena esse? & quam veniã merebimur, qui quod in alijs damnamus, concedendum nobis arbitramur? & qua conscientia audet Religiosus non antè certissima & compertissima sibi, vulgare? aut socij sui, ac non rarò Superioris famam nomenque in dubium vocare? imitantur hi religiosam vocem, hyanæ sunt, & omni adeò Bonaso venenosiores, qui fecundissimos sociorum agros, & horreo Dominico natos, fœda oris calami que egerie sua, in steriles vertunt arenas, cineremque vento dispellendum.

Et hi non rarò sub sanctimonix quadam specie, bonique communis, in falsissimas delabuntur narrationes & suspensiones. & impingunt alijs crimina, errores, mores, quos nulla sæpe ætas, nulla postera virtus eluet. eo que magis nocent, quo speciem aliquam sanctimonix, ac religiosam modestix præferunt. Hæc enim ea sunt, quæ fi-
dem

dem verbis scriptisque faciunt. pulchra nimirum velamina, quibus nocentissima teguntur venena, nunquam virus positura. diræ Religionis pestes: quibus maximi quique viri, omni ætate, etiam in probatissimis Religionibus perierunt: cum fidem apud alios narrationibus scriptionibusque suis à suspitione promanantibus peperissent, maximè si apud Superiores.

Et sanè nullis hæc accusationes è tam dubijs incertisque initijs prognatæ, elui lacrymis aut pœnitentijs possunt. faciliorque in omni propè scelere venia, quàm in his delationibus esse debeat. fragilitate namque quadam humana reliqua propè perpetrantur; scriptiones narrationesque hæc, non nisi aut ex aperto, aut è tecto profiliunt odio, æmulaque virtutis aut dignitatis alterius improbitate. nostra omnia probatissima vellemus; aliorum, nisi è mente sint nostra, damnamus. si quid factum inconsultis nobis, improbum est, aut sanè minùs probum, probissimum licet re ipsa fuerit: si quid nobis auctoribus, solidissimum quamuis, ac minùs probum, prudentissimum ac probissimum continuò erit. Ut ad probitatem sapientiamque satis sit, venire è mente nostra; ad fatuitatem & improbitatem, venire è mente aliena.

Qq4

Que

Quæ reseo grauior est, quòd incertis ferè auctõribus, ignoratis saltẽm, vulnera hæc dentur: nec tueri se quisquam possit. nam si auctõr innotesceret, sæpe, imò plurimùm, ad calumniam detegendam, solius auctõris cognitio satis foret. qui priuato non rarò emolumento, aut è re quapiam subtracta, aut negata, è serijs aliorum monitionibus, è suspitionibus neglectæ aut præteritæ dignitatis, è priuatorum commodorum frustrationibus ducuntur, indequẽ ad narrationes, & scriptiones proliunt. Non vocasti in consilium, non secutus sententiam es, alium prætulisti, inopinanti illi hæc, aut præter spem euenerunt, alia omnia sibi sponderat, pollicebatur magna, excidit speratis. hinc illæ animorum tempestates & fluctus, quæ in illarum rerũ auctõrem tota deuomunt naufragia.

Infelix maximè Superiorum conditio. Concedis quidquid hoc hominum genus postulat: grauis plerumque sequitur offensio multorum, & in omnem prudentiam peccasti. & nullo propè beneficio hos vinces, nisi omnia concesseris. omnia concedere nec tutum, nec Religio permittit. negas? fulmina tibi, & iaculatæ calamo rupes metuendæ sunt.

Infortunata etiam inferiorum ratio, si
quan-

quando in Superiorem facilem ad suspiciones, aut ad delationes è suspicionibus natas, inciderint: qui nec narratores, nec scriptores hosce comprimit; nec antequã ad fidem & monita profiliat, accuratiùs rem disquirat; aut facilis ipse ad suspiciones, inferiorum dicta & facta in deteriorem semper partem interpretatur. è qua re præter perpetuam mentis anxietatem, ingens diffidentia nascitur. è quo illud etiam prouenit, vt cum fidem apud Superiorem inferior non inueniat, animos ad magna properantes deponat, laborem fugiat, ignauumque otium sectetur, alienaque à Superiore mente, etiam in obedientia tepescat, amore omni ac reuerentia pulsa. vnde magna oblocutionũ porrigitur materia, indignationum, amulationum, contemptus, odiorumque tandem, ac immanium vbique detractionum, nulla habitatione conscientie aut Dei. insidias nimirum, fraudibus, credulitate nimia, opinionibus falsis, e mentis commentis structas, paribus artibus propulsare conatur.

È qua re omnium succedit turbatio, miscentur infima summis, ac quasi in domestico ferro ac veneno, intuta infidaque sunt omnia; metu, terroribus ac sollicitudine plena. nulla quies animis, nulla fides

Qq 5 vlli,

vlli, trepidatio ac doli omnium mentes occuparunt; & ille iam solertissimus, prudentissimus ac felicissimus habetur, qui quacunque demum arte socium prostravit. veris an falsis, iuxta habetur. satis est vicisse, hostem strauisse. quod vbi euenit, non tam iam Religio, quam gentilitia quædam Principis aula est: in qua ille primus maximusque, qui per calcatos plurimos deuenit ad summa, ipse fors non multo post calcandus. ea ferè in his dolis vicissitudo rerum est. non perennant hæ machinationes. & plerumque socij talium in tuam insurgunt perniciem. neque enim diu in malo stare societas solet; & quos coniunxit, disiungit improbitas, eadem vtriusque causa.

Est autem hoc vitium eo deterius quolatiùs patet. vt audeat Hieronymus:

*Epist. ad
Colan-
riam.* Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntiant: raròq; inuenies qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam. tantæque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant. Tu verò hoc malum ita effuge, vt non modò ipse non detrahas, sed nec alij quidem detrahenti aliquando credas.

Reme-

Remedia.

A Superiore maximè pendent: qui si difficilis ad fidem præstandam delationibus fuerit, non magna delatores hi damna dabunt; minora etiam, si seriò narratas res examinauerit, & vbi falsa deprehenderit, non patiat impunitos abire auctores. cuius rei si exempla aliqua illustria dederit, nemo facile è suspicionibus ad accusationes deuolabit: at vbi viderit, non tantùm impunitos, sed & præmio quasi decoratos delatores hos abire, facilesque illis aures animumque præberi, fidemque adhiberi, ac optimos quosque falsis his delationibus circumuentos iacere inglorios; ad ea mentem calamuniquè applicant, ad quæ serio, maturo, severoque Superiore nunquam descendissent.

Quòd si Superior ipse malo hoc laboret, naturaque feratur in suspensiones nulla ratione firmatas, fidat nemini, ac ne familiarissimo quidem, ipsaque iam illi probitas suspecta sit, ametque ambiatque hos scriptores narratoresque; nihil reliquum est, quàm vt tales aliis quàm Superioris functionibus distineantur. quòd si in supremo capite resideat hoc malum, ad preces ac
Deum

Deum confugiendum erit, qui solus huic malo remedium adhibere potest.

Proderit in primis, si in omni delatione, tacitus apud se Superior cōsideret, eadem grauioraque è paribus initiis ac suspiciōibus de se dici posse. se proinde si delati loco statuerit, cogitaueritq; quid in simili causa concedi sibi vellet, non magno negotio remedium malo reperiet.

CAPVT XLVII.

Credulitas nimia in delationibus.

INgens, maximè in Superiore, malum, cū facilis in delationes, credulus in narrata, descendit in executiones falsis sapè delationibus innitentes. præproperum vitium, quo nō pauci magnorum circumuenti, exercitus, respublicas, regna & imperia in vnam secum ruinam traxerunt, omnibus ipsi, ac vita demum exuti. Cadūt hoc malo primi exercituum ductores, primi in toga, primi in muneribus, & à purpura primi: cū faciles in criminationes Principes, antè perimunt, bonis fortunifque exuunt, exilio damnant, quàm ex verorem intellexerint; luuntque post præpropera consilia ex credulitate nata, sera &
non

non reuocanda, nec remedianda pœnitudine.

Eadem in omni hominum genere reperies. quod non in vno aliquando resedit Religioso, viro magno. grande malum, & Religioni in primis noxiū: hoc enim vno, primi non rarò virtute, ingenio, eruditione, rerumque agendarum dexteritate, in gloriam vitam ducunt, & à quibus sperari poterant maxima, iacent neglecti, & ignavos transigunt annos, quos rara felicitate, & Religionis bono decurrere poterant. & secuta non rarò mors in primis ingenijs, dum neglectum hunc è falsa denunciatione natum, credulitate fœtum, superare non potuerunt, indignitate victi; maximè dum innocentia tegerentur, animusque sibi constaret recti bonique conscius: nec purgandi locum relictum viderent, Superioris animo delatione præoccupato & obfesso.

Comes deinde credulitati temeritas est, prorumpitque quicumque illa tenetur, in temerarios plurimùm ausus, ac nulli magis quàm ipsi pœnitendos; vt nihil aberrauerim si præcipitio non tantùm proximam, sed è præcipitio pendulam credulitatem dixerò, minimo motu in præceps agendam.

Malum supra quàm credi potest, vt omni

ni

ni reipub. sic Religioni noxium. neque magni quidquã sperari iam potest, postquam animum credula hæc facilitas occupaerit. nam vt in omni propè contubernio non defunt, qui Superiorum venantur aures, ingerunt placentia; si propensos in delationes sentiant, proni iam ipsi ad hæc mala totis viribus ruunt in gratas Superioribus delationes, & materiam credulitati suggerunt fœcundi flammarum harum incētores, ab omni meritò Religione eliminandi. nam quæ tuta innocentia erit, cùm delatoribus Superiorum credulitate vltro ostia aperiantur, prouocenturque illorum facilitate in malefidas plurimum narrationes? aut quis cuique animus ad magna, si & hæc patere calumniæ viderit? continebit se quisque deteriorum metu, nec vires in apertum diffundet, stringet potiùs, quas plurimorum bono laxare poterat, habenas; & inter ignauas cogitationes vitam transiget, multorum alioqui salutis impendendam.

Cùm deinde credulus omnis facilis sit in suspiciones, maximè sinistras, & timoribus plenas, suspecta que habeat omnia, & in minimis maxima perhorrescat; fit vt inquietam vitam transigat, nulli fidus, nulli fidat: atque hinc perpetuis agitatus animo.

morum fluctibus, continuis tempestati-
bus iactatur: nulloque certo stabili-
tore constitutus, in omnem partem pulsa-
tur, ignarus cui stationi adhærescat, cui
credat. quam rem longissimè ab omni Re-
ligionis tranquillitate, portuque illius ab-
esse nemo non videat.

Neque tamen nimia in alios esse confi-
dentia consultum est; sed neque diffiden-
tia nimia. non obfirmet animum ad om-
nem delationem, non aperiat ad omnem,
vt nec omnia, nec nihil credat: medius
inter Charybdes Scyllasque has tutus
enauigabit; tentabit vtrimque breuia pru-
dentia suæ bolide, vitabitque prouida cir-
cumspeditione sua, quidquid quaqua parte
naufragio timendum. nam & nulli fidem
adhibere, solisque oculis suis credere, per-
tinacis ingenij est, sibi que potius quam
publico nati; omnia credere, ingentis ple-
na periculi res est, & imperio imprimis no-
xia. vt meritò dicat Sapiens: *Qui credit citò,* Ecc. 19
leuis est corde, & minorabitur. & Audisti verbū
aduersus proximum tuum? commoriatur in te,
fidens quoniam non te dirumpet. à facie verbi
parturit fatuus, tanquam gemitus partus in-
fantis.

Reme-

Remedia.

Moram dare, certumque sibi tempus præscribere, vtilissimum erit; ferè enim calida in his delationibus consilia poenitenda sunt.

Numquam ad sententiam, quacunque etiam in re descendere parte inaudita.

Reo potissimã semper aurem præbere, plusque huic, quàm accusatori indulgere.

Suspectum omnem delatorem habere, ne qua auersionis, æmulationis, inuidentię, aut odiorum causa intercedat. Condicio dein illius perpendenda, vita, mores, ingenium: num consuetudine, aut natura facilis ad delationem, pronusque ad suspiciones, & res supra fidem augendas. examinandi etiam sigillatim si qui verbis factisue interfuerint, ponderandaque singula. circumstantię etiam accuratè dispiciendæ, & quidquid fidem facere ac derogare potest. considerandum etiam, audieritne delator, an aliorum ore referat, aliorum oculis, an suis: considerabit proinde prudens gubernator singula, audiet omnes, repellet neminem, credet paucis, ac non nisi longo vsu probatissimis: discutiet narrata, personam intuebitur deferentis & dela-

delati; num quæ odia & emulationes intercurrent, num quæ animorum commotiones, aut nocendi studium; quibus rationibus delatæ res firmentur, quibus testibus, qua ex causa dicta factaq; qua mente. vitam etiam intuebitur vtriusque præteritam, moresq; præsentis; plusque semper reo tribuet, quàm accusatori, in rationum maximè personarumque paritate, aut non magna imparitate. Deo seriis precibus, tacitisque, etiam in rebus secretis, aliorum orationibus res commédanda.

In omni delatione cogitare, posse subesse falsum, posse falli delatorem, posse affectu in transuersum duci, posse aliud intercessisse, quod aut delictum minuat, aut vniuersum tollat; aliaque huius generis.

Prudenter monet Hieronymus: *Nec ob-
treçtatoribus auctõritatem de consensu tribuas,
ne eorũ vitium nutrias annuendo. Noli, inquit
Scriptura, consentaneus esse cum derogantibus
aduersus proximum tuum, & non accipies super
illum peccatum. & alibi: Sepi aures tuas spinis,
& noli audire linguam nequam. nihil enim tam
inquietat animum. nihil est quod ita mobilem
mentem ac leuem faciat, quàm facile totum cre-
dere, & obtreçtatorum verba temerario mentis
assensu sequi. Hinc enim crebrae dissensiones,
hinc odia iniusta nascuntur. hoc est quod sepe de*

*Epist. ad
Celan-
tiam.*

R r ami-

amicissimis etiam inimicos facit, dum concordet quidem, sed credulas animas maleloqua lingua dissociat.

CAPVT XLVIII.

Nimia commendationes & depressiones.

Suspectum dicendi genus, & quod fidem verbis adimit, eleuatque omnia propè rationum pondera & momenta. nimis enim propensam in alterutram partem voluntatem ostendit. quare suspicionem non tam rationis, quam affectus ingenerat; facitque vt etiam rationibus, aliqui solidis, non parum derogetur. priuata namque aliqua talem necessitudine, cæco quodam amoris affectu, aut speratis emolumentis, & dignitatum ac commodorum suorum accessionibus, duci auditores arbitrantur.

Inde grandia nascuntur præiudicia, amoris aut odij, & neutri fides adhibetur, vtrique abrogatur, cum in illo rationem ab amore, in hoc ab odio vinci arbitrentur. temperabit proinde dictionem, & plus illi modestiæ, quam caloris intersperget quisquis apud viros rerum intelligentes fidem sperat. in populo plebeque infima,
plus

plus sæpe potest calor, & verborū, tanquā fluctuum congeries & cōvolutiones. cū impetu ferè potius, quàm maturo rerum verborumque pondere ducatur; modestiam, compositosq; ad maturitatem mores pro tarditate, & ingenita naturæ lenitate numerat: æqualitatem verò ac ditionis quandam malaciam in ignavo pectore, & ingloria mente ponit; ventis gaudet, & pleno gravidatis Austro velis; vt qui impetu, ac quasi vorticibus magis feratur, quàm ratione.

Hoc interim certum, non esse religiosi candoris, res verbis augere, & illarum tenuitatem Augusto ornatu vestire, aut infra meritam laudem ponere; aut debito spoliatas cultu, naufragas, ac tanquam fluctibus excussas in mediis arenis destituere.

Sed nec Christianæ simplicitatis est, mendacio amorem odiaque inuare, & infra supraque verum res tollere, aut deprimere. Neque de bona conscientia veniunt hæc placentia verba, & ad gratiam mendacio vestita: nascunturque ex his maiora damna, quàm quisquam prima fronte arbitretur. Sæpe enim Superiores in functionibus dispertiendis fidem commendationibus adhibent: & dum sequuntur cæcos hosce laudatores & ductores, non rarò in

præcipitia scopulosque plurimos impel-
lunt. si verò nimis depressionibus aures
mentemque admouerint; in pœnitenda
labuntur, dum idoneos in primis, & ad ma-
gna natos, muneribus exuunt, aut non ad-
mouēt, vano hoc metu, ex improbo com-
mento nato, repellente. Ita fit, vt indignif-
simus quisque ad clauum sedeat, in Syrtes
& breuia nauem daturus; arceanturque à
gubernaculis, quorum industriâ tuto per
decumanos etiam fluctus, sc̄quentibus Au-
stris nauigari poterat.

Quòd si Superior hoc malo teneatur,
perit omnis illi apud suos fides. nam & dum
verissima narrat, in neutram partem libra-
to affectu, semper aliquid aut profusa, ac
supra verum prodigæ laudis, aut infra ve-
rum auaræ ac æmulæ tenacitatis subesse
suspiciantur: neque fides iam tantum illi
in augmento aut decremento adempta,
sed in omni omnino re; cum tam facile
illi esse arbitrentur, vniuersam rem, quam
illius partem mendacio aut tollere, aut
eleuare. Imitatur verbis paternum affe-
ctum? pulchris verbis alienum animum
tegi suspiciantur. promittit sollicitudinem
diuino orationis fluxu, & vbera quædam
ostentat matris? inopiam his tegi rerum,
& mentiri vbera vterumque matrem pu-
tant.

tant. fidem addicit, & in fiduciam suos locuplete sponſione pellicit; opes exteriùs ostentari, egestatem intus habitare ominantur. sinceritatem & candorem oratione spondet; plus etiam verentur, quo plus spondet. Neque quisquam huic se suaque credet; verebitur secreti fidem: cum ferè tales pronos ad quæuis effutienda reperiamus. quàm enim faciles ad augmenta ac decrementa rerum sunt, tam plurimùm faciles in omniù narrationem reperies. continebit enim difficilè rem ipsam, qui intra veri terminos continere illas nescit. inde iam illa nascuntur inferiorum de Superiore dicta, Antiquum obtinet, ne crede. crescit illius aut decreſcit oratio ab affectu, res alia est. facit more suo, & pro inueterata consuetudine pulchra veste deformem statuam induit, aut vili palla pulchram tegit. alius dixisset, crederemus: nam verba rebus aptari, tanquam strictam vestem corpori, à qua nullus huic decor, sed roboris ac venustatis expressio est, arbitraremur. at in huius ore & ornamenta & res figulantur, & quæ nusquam sunt, esse incipiunt. Omnis deinde veneratio in Superiorè perit: nam cuius semel orationi fides detracta est, etiam venerationi cultus omnis ademptus est.

R r 3 Multum

Multum deinde illi, quicumque hoc vitio laborat, apud externos de fide, de sanctitatis opinione, adeoque etiam de sperato animarum fructu decedit: nam ubi semel hæc de illo opinio inualuit, quod ferè euenire solet; omnia propè illius dicta, aut supra aut infra verum esse, non immeritò suspicantur. laudat? crescere credunt rem dictione. vituperat? detrahi fidem laudemque rebus, verbis arbitrantur. exempla adfert in terrorem, in diuini nominis amorem impellentia? plurimum hinc additij subesse coloris putant; nec tam rem ostendi, quàm ornatum, remque ipsam cultu tegi. omnia denique eiusdem generis dicta illius esse, etiam dum testatissima, & ab omni fuce alienissima narrat, sibi persuadent, è consueto nimirum illius more omnia metientes. Et dum prodesse, aut obesse student pro vario suo affectu alijs; apud cordatos carent saepe effectu sperato: cum nullam in laude fidem, nullam in vituperatione inueniant, & contrariam non rarò aliorum animis opinionem ingerant; vt quos laudant, vituperatione dignos; quos vituperant, laude dignissimos alij arbitrentur.

Remedia.

E Crebris ferè scrijsque Superiorum monitis petenda sunt. vt quos viderint hac ægritudine teneri, quoties labentes repererint, toties seriò moneant.

Iuuerit, illis etiam aliquem è magis ferijs maturisque Patribus designare, quem non illibentes audiunt: qui si quid in hoc genere monitione dignum obseruauerit, non parcat. proderitque publicis nonnunquam monitis ab his terrere.

Sin ipsi Superiores obnoxij malo huic sunt: videndum an aliquem habeât, quem pro priuata necessitudine non grauatè audiant, cuique ad religiosè monendum non desit animus; si modò sperari prudenter emendatio possit.

Ipsa denique consideratio labantis apud omnes fidei, & Superiores & reliquos meritò terrere ab hac consuetudine deberet; eo magis quòd semel imbibita hæc ratio vbi inter domesticos conualuerit, abeat etiam ad externos: vt qui his moribus domi fuerit, iisdem extra domum futurus sit, etiam in concionibus ad populum, in priuatis colloquijs, in ipsoque adeò sancto confessionum audiendarum munere. quod

R r 4 vbi

vbi fit, omnis necesse speratus spiritualis fructus collabascit. semel enim extincta protritaque fide, spei nihil reliquum esse potest.

Proderitque priuatim hac de re examen instituire, ac in rerum narrationibus, familiarique colloquio attentum in omnem partem animum habere, verbisque suis presentem, ac quasi monitorem sui. certis etiam sibi pœnitentijs in omnem manifestum lapsum propositis.

CAPVT XLIX.

Apprehensiones, suspiciones.

Periculis hîc omnia plena sunt, & magnorum etiam infelici & præpropere exitu comprobata. Hinc enim merores cor exedentes, ipsaque adeo ossa emedullantes. sequuntur animorum alienationes, ac in vltimam sæpe desperationem vergentia mala: spiritualis dein quædam succedit nausea, & ab omni omnino munere auersiones, laborum fuga, piarumque exercitationum neglectus; ac quasi quidam languentis animi contemptus, inquietudo insuper quædam mentis: & iam omnis illi locus, focij, munia molesta sunt,
ac

acleuissima quæque grauissima, mollia dura, suauius acerba videntur: monita deinde, blandæque Superiorum aut aliorum compellationes, dolo & fallacijs plenæ. si benignè omnia pollicearis, rideri se arbitrantur; si maturiùs egeris, indignantur; si fortiùs, exurgunt in iras; ac vix nisi cum vita deponunt hoc malum, vbi semel inuault, ac radices egit.

Accedit, tales in perpetua quadam mentis inquietudine viuere, in perenni nocte dieque animorum iactatione, vt nulla illis quies menti, nulla animo pax sit, sed æterna quædam lucta, & ærugo pectoris, cordis contortiones, ac intima quasi mentis euisceratio; dum continuis doloribus, tanquam immanissimis furentis Oceani fluctibus in omnem partem iactantur, omni interiori malacia ac tranquillitate pulsa, ac quasi in exilium missa. *Sicut enim tinea* Prou. 23 *vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.*

Neque soli impotenti hac inquietudine aguntur, sed & alios in naufragij sui partem secum trahunt, malorum maximè & Oceani illius inexpertes, qui fluctuum illius rabiem nunquam tulerunt: vt non mirum sit, in suspicionum aliquem scopulum illidi; illos maximè quos aliqua animo-

rum scabies tenet; cùm minimo affricu exasperatur malum, & vulnere locum prebet. Periculis planè res plenissima, quando mutuum exacuunt morbum. nam & in murmurationum, & in latissimum detractionum campum excurrunt: damnant omnia; nec ingenio quisquam illorum facit satis, dum nulli fidunt, diffidunt omnibus, tuta etiam omnia timentes; cùm fraudibus dolisque plena arbitrentur omnia; nullius amicitiam veram, nullius fidem securam, nullius sponsiones certas sibi persuadeant. hostium illis loco omnes, & in omnium frontibus inimica legunt arma: in omnium verbis hostilia reperiunt agmina, in omnium oculis structas vident insidias: focia & amica illis consilia pro aduersantibus & perimentibus; auxiliares copiae pro oppugnantibus habentur. nusquam denique illis fides, nec in optimo, probissimo, sanctissimo. adeò remedium propè omne, malum hoc superat, cùm medicam nullius admittat manum, aspernetur omnium, ac tanquam hostilem fugiat.

Si Superior suspicionibus hisce teneatur, vniuersam domesticam gubernationem euertet, inuisus grauisque suis. neque apud talè subditorum virtus probitalque annis plurimis testata, nec probata innocentia,

centia, nec ratio locum habent: sed ex altè
 impressarum suspicionum vmbri, omnis
 inferior fit nocens, omnis reus. cumque
 perpetuò tanquam fluctibus mentis iactetur
 anxietate, mille se suosque cogitationibus
 rebusque cruciat. & vt ingeniosa suspicio
 est, in vna mille difficultates inuenit,
 quibus & se suosque inuoluat. Sed neque ad
 magna conatum extēdet, & impedimen-
 to etiam erit aliis, ne generoso ausu ad ma-
 gna tendant: causamque sæpe dabit ad
 præclara & illustria natis, vt in ignauo otio
 decurrant annos, excludanturque ab ijs
 muneribus, in quibus ingenti nominis di-
 uini propagatione, proximorumque salute
 occupari poterant. Si inferior his labo-
 rat, omnia Superioris consilia etiam ami-
 cissima & à paterna manu profecta, vt ini-
 mica & hostilia auersabitur. Nascuntur in-
 de subdolæ vtrimque, in mutuam euersio-
 nem molitiones, cum perire cupimus, aut
 spe excidere, aut sanè ad maiora non
 contendere quos aduersarios arbitramur.
 hinc mutuarum offensionum validæ exur-
 gunt causæ, nulla arte & industria ponen-
 dæ. erumpuntque hæc facilè ad externos,
 magno familiæ damno, & conceptæ opi-
 nionis bonæ graui iactura. Ingens malum.
 quod aut è pusillanimitate profectum, aut
 è ta.

è tacito fastu, aut alienæ virtutis inuiden-
tia, aut ex indignatione, è negato aut fru-
strato munere, concepta, maximè si alio-
rum consiliis studioque impedimentum
iniectum; aut sanè, falsis licet nixa princi-
piis, suspicio talis, nata fuerit.

Tollitur denique domui libertas omnis,
cùm nemo tutò audeat illis præsentibus
fermonè miscere, veritus ne quid sinistra
opinionis nascatur, ne malignior interpre-
tatio fugiunt proinde talium consuetudi-
nem, apud quos vident, non dicta factaque
dicta factaque esse. è qua re ingens fami-
liam turbatio occupat, quæ solo auctore
semoto conquiescit.

Remedia.

Quòd si quis suspicionibus his agatur,
& in aliorum moribus vitaque tan-
quam in Oceano fluctibus iactetur; cogi-
tet quàm falsis aliàs suspicionibus, quàm
ingeniosis, & ad fidem faciendam aptè ex-
cogitatis, certoque sibi persuasis, in erro-
rem inductus fuerit: quàm fortiter sæpe
& tanquam ab oculatis testibus narrata
dies detexerit, & victrix simplex veritas
subdolam improbitatem prostrauerit. ea-
dem in præsentiarum aliisque suspicioni-
bus

bus euenire posse arbitretur. iam si quales in se reliquos insurgentibus ex quacunque causa suspicionibus esse optauerit, talem se præbuerit aliis; non magno negotio, suspensiones reponet. cogitet quid incurfantibus illis statui in se vellet, quantam fidem adhiberi, quæ consilia iniri, quid decerni. eademque ipse in aliis statuatur. prudens regula est, quæ ab animo suo in paribus constituto, aliquid in aliis decernit.

Si è nulla certa causa natæ noxiæ hæc apprehensiones sunt; magis à medico, quam aliunde remedia poscenda, aut speranda, sunt, & à locorum muniumque varia mutatione. fortè enim hac quasi iactatione leuabitur æger, incidetque in Superiorem naturæ suæ conuenientem.

Si mala hæc quis patiat, ab aliis, quod frequenter euenire solet, ex dissentientium iudiciorum varietate, vel ex sinistra aliorum de nobis opinionum formatione, ex muneris priuatione, ex neglectu, aut nominis detractio, falsò plurimum irrogata; armandum pectus his similibusque cogitationibus malū lenientibus erit: *Omnis homo ex se æstimat alterum. fornicarius neminem putat castum, castus de fornicario non facile suspicatur: superbus neminem putat humilem. humilis neminem putat esse superbum.*

*Chryf.
super
Matth.*

Libera

Libera hominum ingenia & iudicia sunt, & ferè tot in his discrimina, quot capita. quid te torques in non emendanda varietate, & quæ non est in manu tua: quæ flecti imperio & voluntate possunt, tua sunt: in alieno speranda potius, quàm cogenda emendatio est: coactio in proprio valet, suasio in alieno. neque prudens sperare debet aut potest, aliorum omnium iudiciorum cum suo consensum; maxime cum pars maxima nudis plerumque opinionibus à suspitione natis moueatur, à quibus ob innatam iudiciorum tenacitatem, non facile plerosque dimoueas. feret ergo prudens quæ emendare aut mutare non potest, nec mœrore se macerabit in ijs, quorum euentus ab alieno imperio & voluntate pendet.

Cogita, si calumniator est, errore duci. quid faceres aberranti? non in viam reduceres? facies hoc in iudiciorum errore: re-duc aberrantem factis è virtute natis, vt videat alium te esse, quàm errore ductus arbitrabatur. & te ipsum intuere: vide quoties hoc æstu abreptus fueris, quàm fecundis ingeniosisque in aliorum factis suspitionibus in errorem inductus, nec miraberis alios paribus tactari. tuo malo aliis mederi disce.

Cogi-

Cogita talem morbo laborare, & misereris potius, quàm indignaberis. quis indignatur febricitanti, & maledicenti ac conspuenti? abstergit potius hæc sputa benevolentia: etiam aliquando ostentatione, quasi ex iniuria beneficia acceperit, mulcetque eo magis ægrum, quo ille furit magis. febris, adeoque phrenesis calumniatorē occupavit; compatere, & morbo calumniam tribue. Vis vinci? ad ima calumniam demitte, & tanquã ignauo mœrore protritum te calumniator videat. Sed grauis calumnia est, non meliùs innocentem, quàm nocentem pati?

Vis calumniam vincere? contemne. maior omni contumelia qui contempsit est: nec vlla re alia nobiliorem de calumniatore triumphum duces, quàm cum te viderit generoso calcatu transeuntem hæc vt folia vento rapta, vt stillicidia vanè sparsa, vt grandinem tecto illisam. nec grauior vlla vindicta est, quàm cum se calumniator viderit solo contemptu superatum. Vis etiam triumphum illustriorem? beneficiis calumniatorem obstringe: nulla re magis etiam barbarū pectus franges. Monuit hoc olim Sapiens: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illi: si sitierit, da ei aquam bibere. prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus*

minus

1. Pet. 3. minus reddet tibi. & Apostolus: Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed contra benedicentes, quia in hoc vocati estis.

Percurre quotquot orbe toto fuerunt magni, & intuere num quem à calumnia reperies immunem: neminem inuenies tanta innocētia, vitæque sanctitate, quem non hac grandine, tanquam saxeo imbre videas complutum. & ferè quo quisque maior, eo pluribus fuit iactatus. Quāta regna iacent, è nudis suspicionibus calcata: quanti Reges ductoresque exercituum hostibus inuicti, ad hos suspicionū scopulos illisi, naufragium fecerunt: Magna etiam necessum est esse, quæ æmulationem & odia prouocant. humi iacentibus nemo inuidet, ad alta confurgimus, & cum non possimus paria, deiecta & prostrata cupimus. Non egrediamur Religionem. quāta primi omnium Ordinum parētes tulerint, nemo ignorare potest; vt audeam dicere, Da mihi virum in Religione magnum, dabo tibi calumniis non semel tantum non oppressum.

Cogita euenire hæc tibi à Domino ad expiationem culparum; & hilari oculo atque animo suscipies, agesque ingentes Deo gratias, pro tam suaui pœnarum in inferno
aut

aut Purgatorio deuitarum, in calumnias commutatione.

Cogita à Deo hæc immitti aut permitti, vt variarum calumniarum iactatione durioribus assuescas: vt difficultatum harum consuetudine, ac quasi familiaritate discas minima dedignari, ad magna assurgere. ita leo vulpeculam, aut ouem contemnit: at si elephas contra steterit, excutit generosas iugas, tanquam lætitiæ imbribus de cælo perplutas: gaudet enim magnis magnus animus componi, vilia dedignatur. facit hoc mens omnis incommodis & aduersitatibus roborata, & quæ assiduitate ac frequentatione callum obduxit. Et sanè neglexisse, ac quasi ignauum transisse videtur Deus, quem non dignatus est durioribus ad maiora parare. de cuius virtute magna sibi promittit, illum audet componere magnis. ita militiæ duces ad difficillima quæq; promptissimū quemque vocant, ignauos in medium conijciūt agmen, aut sarcinis destinant.

Permittit hæc Dominus, vt in animi submissione nos contineat. ne muneribus, ne felicioribus rerum successibus, populi fauoribus, ne cælestibus gratuitis donis, eruditione, prudentia, eloquentia extolamur.

Docemur hîc decurrere ad Deum, illi soli fidere, in eo spem omnem reponere, humana contemnere, vt incerta, intuta, infida, fraudibusque etiam in fratribus obnoxia; cùm ab vno ytero sæpe insurgunt calumniæ, etiam ab amicissimis. quare nemo paulò prudentior ad ea descendat, quorum propalatio noxia auctori esse possit. ille securus degit, qui nihil pœnitendum committit, quiq; ea etiam coniunctissimo credit, ad quorum euulgationem non erubescit.

Plerumque etiam Dominus, quos gubernationi destinavit, antè per aspera & aduersa roborat. nam quid faciet temporatum inexpertus fluctibus insurgentibus? quæ consilia aut remedia dabit malis properantibus? eueniet illi quod militiam inexperto, pugnam aggredienti, trepidabit ad omnem hostium occursum, & antè corruet, quàm consilia explicabit.

Et ferè durissima, durioribus non assuetorum, imperia sunt: qui cùm non didicerint pati, nec compati sciunt. ille suauis plurimùm imperat, qui in se aduersantium rabiem expertus, periculo suo aliena didicit metiri, magnorumque etiamnum vulnerum cicatrices circumfert: quiq; non alieno tantùm exemplo, sed & suo didicit
quid

quid possint calumniæ. ille enim experientia didicit, quæ occurrentibus his malis remedia admouenda sunt. inexpertus miscet omnia; experiri in vnoquoque remedia volet, quid possint, aliorum nimirum edocendus malo. ille securus manum admouet, qui longa experientia vim mali didicit, & mitioribus primùm inualetudinem tentare, nec ad duriora, nisi in extremis, & quæ reliqua omnia aspernantur, descendere.

Cogita demum præmia cælo promissa, si forti animo calumniam tuleris. nulla re alia magis mitescit labor, adeoque dulcescit, vt & ipsa iam verbera mollescant, si præmia adiunxeris: quæ qui cogitat, hilari vultu calumnias & aduersantia quæque amplexabitur, vt semina fructuum cælo reponendorum, vt messem Dominico horreo inferendam, vt diuinæ in nos beneuolentiæ signa. memores illius, Quos pariauit cælestis Pater Filio, laboribus, calumniis, verbera, sanguine; hos etiam, quantum humana cælestibus componi possunt, pariabit & præmiis. nec certior in hac vita diuinæ in nos beneficentiæ testatio est, quàm si variorum in hac vita iudiciis, linguis, calamis iactari nos permittat.

Iuuabit, se suspicionesque suas, pulsa si-

S s 2 mu-

mulatione, candidè Superiori, & domestico Confessario aperire. nihil deinde in hac vita ab humana manu ambire, nihil sperare. non timuit qui non sperauit: nec abreptus suspicionibus est qui non timuit. semper enim mistus suspicioni metus est, dux illi & perpetuus comes. humanas verò laudes negligere. cùm deterrimi ferè ampla harum materia sint. sanè nec optimus, nec prudentissimus ad magna tollitur: vltima ferè in humano delectu prudentia est, fauor & propensio quædam animi primum locum tenent. beatus qui hæc risit, & humanis omnibus maior sola cælestia sperauit, sola amaui: contempsit reliqua, vt indigna cælis Deoque, cui natus, & cui vni omnis viri prudentis, viri boni labor defudat, felixque fœcundusq; sudor profunditur.

CAPVT L.

Puſillanimitas.

VArijs è causis hæc nascitur: natura tamen plerumque vitium est, omnia metuentis, omnia viribus maiora arbitrantis. hinc in ignauo quodam timore confescit animus, nec ad magna aut ardua,
exten-

extendit manum, semper pauidus; generosa & excelsa nec auribus quidem admittit vilissimis se pascens. siquid in aliorum gratiam agat, contentus rem proposuisse est: ut si excitet, & ad grandia prouocet ac inflammet, viroque ac posteritate digna meditetur; frustra speres. ut verò difficultates perfringat, obices repellat, arma armis pulset, ferroque ferrum excutiat, sudorem fundat, sanguinem gloriæ in posteros semen spargat; nequidquam expectes. amat infima cum desperet magna, deligitque sordescere in illis, ne in his laborum miles vias patiat. hinc etiam viribus suis non raro inferiora, ne attingit quidem, & oblata ac vltro obtrusa magna negligit, desperans de consecutione, omniaque tuta timens, ad sola ignobilia, timorique suo inferiora, aut ut summum paria dexteram extendit.

Prouenit sæpe pusillanimitas hæc ex innato quodam fastu & arrogantia. dum enim aut nomen venamur, quod non consequimur, aut dignitatibus inhiamus negatis, aut antelatum aliū cernimus, aut speratis frustramur opibus, aut à cogitato munere repulsam patimur, aut denique à quo laudem expectabamus, dedecus referimus; labimur animo, succiduntque tan-

quam lassato genua, & aut ab indignatione non consecuti voti, ab ignominia relata, à concepta acerbitate, à reportata verecundia, ab ipsa denique desperatione, similibusque à superbia natis, totis animis corruimus; vertunturque desiderata in timorem, mœrorem, suspiciones varias, temeraria iudicia, animorum alienationes, in quoddam mentis frigus, vt tanquam glacie constrictus, aut quodam pigro torpore perfusus, totus ignauescat animus.

Exoritur sæpe eadem è melancholia quadam altiùs impressa & fota, quàm vt leuibus remedijs discuti possit; dum quædam præter spem obuientia, aut opinionibus nostris aduersantia, aut cum iudicio nostro pugnantia profundius demittimus: & nudis sæpe mœrores illi opinionibus innituntur, quæ maximarum intus turbarum causam probent. videmus tempestates & plusquàm decumanos fluctus pectori obuersantes, & causa nulla, totque procellarum fluctuumque cælo propè minitantium, sola è suspicionibus opinio nata causam dedit. nec eximendi illam spes vlla, nisi qui patitur iactationum suarum causam prodat. & ferè seriùs se reteggit, malaque quibus opprimitur & sorbetur. antè nimirum oportuit, & principijs occur-

currendum fuerat. frustra medicina extremis seruatur, cum inualuit ægri- tudo, & intima depasta est.

Nec rarò hæc à concepta quadam animi indignatione originem ducit. benefecit aliquis amico, quantaque potuit in eum beneficia contulit, ut natare possit in immenso quodam beneficiorum Oceano; & post tot benefacta ex amico inimicum patitur. Alius pectoris sui intima alterius commisit fidei, ut nihil celauerit, nihil clauferit, recluserit omnia, & tanquam cum mente sua prolocutus omnia referarit claustra; & post patitur infidum, & sanctè commissorum violatorem. Tertius eduxit, ac quasi manibus ac genibus suis alunatus est aliquem, parens illi & mater, nec non nisi multorum inuidia protrusit ad magna; consequitur deinde hunc Superiorem & simul hostem. Dura omnino conditio, & quæ satis sit ad valentem & robore plenum deturbandum & eneruandum.

Sunt harum rerum innumera passim exempla, & subita sæpe morte, aut lenta ac miseranda tabe confirmata: è quibus initijs in vnoquoque hominum genere cecidisse vidimus primos in omni fortuna viros, meliori exitu dignissimos: quos concepta mentis ægri- tudo, dum ad repellenda

procurfantia, aut calcanda aduersa non
fatis fuit animi, præpropere casu, infelici
fine, vitam robore adhuc & annis plenam
intempesta morte præcidere fecit, totasq;
familias inexpectato lapsu funestauit.

Expectari ab his magna poterant, & in-
geniorum prudentiæque raræ dotes sum-
ma spondebant: gratia & eloquentia, to-
tusque corporis habitus, ac in agendo so-
lertia dexteritasque indefesso studio con-
iuncta, nihil non promittebat. accessit ani-
mi quidam mœror, è quacūque causa ve-
ra an falsa natus, & tanquam vna falce vni-
uersam spem secuit: aut tanquam venena-
ria pruina, aut inimicum frugibus gelu, di-
uitem messem facundo solo ridentem pe-
nitus decoxit, solaque expectatione sua
locupletem dominum frustratus est. Et ille
non vna in aduersis victoria illustris animo
fractus corruit, tantaque spes ad summa
furgentes, momento protriuit, fabulaque
iam factus orbi est, qui miraculum fuerat.
& cadit illi nõ rarò totius Religionis dam-
no, totius familiæ interitu, secumque tra-
hit vna nimirum ruina domum totam.
crederes Philistea agmina roboraque vna
columnarum concussione corruisse, cæco-
que Samsonè pusillanimitate è mœrore
quopiam nata, tantam cælo surgentem
mo-

molem vno impulsu decinerante.

Innumerae propè rerum harum causae sunt: Superiorum imprudentia, seuerior correctio, credulitas à falsa delatione nata, diffidentia, amicus infidus, dolosa circumuentio, obrektiones, suspiciones altiùs depressae, inopinata infeliciù euentuum successio, inexpectata secundorum in aduersa commutatio, è digniore gradu deiectio, inimici ad maiora euectio, maximè si illius potestati submittatur; innocentia calumnijs petita, fides criminationibus habita, defensionis locus negatus, inauditi damnatio, ingratus animus, beneficiorum immemor, qui pro benefactis hostilia reponat; cum remunerare debuit, & grata beneficia prosequi memoria, inimicum ostendit pectus: secreti criminis insperata relectio, innumeraeque propè, pro cuiusque ingenio alia atque alia: quae cum in animum non omnino praeualidum inciderint, aut in pectus aduersantibus inassuetum, aut secundo lætoque perpetuo prosperioris fortunae successu elatum & assuetum; facile ad mœroros & pusillanimitatem mœroribus comitem propellunt, inde in malorum vltimum desperationem.

Languet in talibus primò animus, tepetque, vt arbitrari possis alto quodam

fopore depressam mentē iacere, putes lethargo oppressam; fastidit deinde omnia, ac spiritali quadam nausea delassatus, dormienti, somnoque è diuturna vigilia prægrauato similis, in supina quadam ignauia procumbit: abhorret à lætioribus, delectatur tristibus, amœna refugit, sectatur horrida, congressum aliorum auersatur, amat solitudinem, labores refugit, captat otia mœroribus amica: mille suspicionibus diem noctemque fatigat, nulli magisquam sibi grauis. siquid benefeceris, fraudem voretur: si serias admonitiones adhibueris, hostem arbitratur. læta narras? rideri se putat. tristia? ab inimico pectore profecta credit; vt à solo propè Deo remedia speranda sint.

Si Superiorem pusillanimitas hæc tenet, miserationibus vbique digna res est. ferè enim talis concreditum sibi munus vniuersum negligit, & è timore fastidio plenus, nauseabundoque in omnibus similis, ingenti in res omnes fertur displicentia. nihil serium magnumque aggreditur, nullamque rem posteritate laudeque dignam, nihil denique quod animos generosos præferat, cum omnia viribus suis maiora arbitretur. quare nec ad ardua aut victura dexteram audet extendere, similis illi

illi quem Sapiens mittit ad formicam.

Ac licet dignissimus munere sit quod obit, nec quidquam illi necessariarum rerum ad magna desit; minùs tamē idoneum metus facit, & conceptus semel animo timor, & diffidentia sui, vt vix quidquam à tali sperari possit: tanquam si quis viribus diffidens, abiectis armis, inermem se nudumque imbelli aduersario obiiciat. facit hoc omnis pusillanimus. p̄sidiis licet maximis suffultus, omnibus vltro se exuit, spoliaturque.

Quin & nescio quid diffidentie in Deum puido semper pectore circumferat quisquis hoc malo tenetur. neque enim fieri potest, vt qui spem suam in illum coniecit, tot vndiq; timoribus circumsep̄iatur; cum dubitare nec prudenter nec christianè, de illius potentia, ac in nos omnes affectu post tot diuites spon̄siones, totque testatissima amoris signa, tot pro vberibus vulnera, prodigumque pro lacte sanguinē, quisquā possit. Iam cum post tot r̄ataq; perstet in vano Superior metu, perpetuoq; timore pulsetur, plurimum necesse de diuinarum spon̄sionū fide, deque fiducia innumeris Deo nominibus debita, remiserit. aut sanè occulto aliquo quicunq; hoc malo possidetur, fastu rapitur. cum enim res viribus

ribus

ribus tantum suis metiatur, videatque has
impares rebus magnis; de felici executione
desperat, spemque omnem abijcit, tor-
porique indormiens, in ignauo imperio
consenescit, vitamque in inglorio otio tran-
sigit, omnium domi forisque libertatum,
dissolutionum, morumque à Religione
alienissimorum causa. qui si tot diuinis spon-
sionibus oneratus, tot maximorum omni-
um exemplo prouocatus, Domini poten-
tiae innixus ad imposita sibi dexteram pro-
tenderet; non magno negotio, fortunatissi-
mo successu concedita sibi perageret.
nunc prostrata miserè iacent omnia. nul-
lus, pulsà in solidum vigilantia; disciplinae
vigor, nulla regularum obseruatio, nusquam
amula piarum exercitationum se ostendit
cupiditas. frigent omnia, calor nullus, pul-
soque pio internorum aestu, congelascit
animus, & in Superioris tepore ignauescunt
domestici, in illius metu timoribus pulsan-
tur, & ad solum magni nomen cum duce
suo perhorrescunt; quasi si quem fulmine
percusseris, aut immani rupe oppresseris,
arbitreris in Superiore suo mente destitu-
tos: ita inter ignaua animae illius deliquia,
fastidio metuque plenam vitam trahunt,
lentoque infamique concharum more ve-
stigio terram signant, pigra vbique post se
signa

signa ignauissimi pectoris relinquentes, ad omnem magnitudinem pauidi, ad omnem illustrium molitionem trepidi: è quibus ignauissima Religioso vita moresque vomitum Domini prouocantia nascuntur. ac tandem è religiosa disciplina, in perpetuum spiritualium neglectum prolabimur, infelici plurimum exitu bene inchoata, æternum deuenustaturi.

Remedia.

Superiorum industria plurimum in hac re iuuabit. credi enim vix potest, quantos animos suggerere valeant, quam validè iacentem mentem erigere, dum magnis ipsi animis audaciæ viam sternunt, latoque hilarique vultu suos ad magna prouocant. etiam tirones & bellorum inexpertes, inassueti armorum, veterana perferunt arma, ferrum, impetum duce præeunte. audax nimirum ductoris animus, metum trepidantibus excutit; & experiri cominus iuuat, cuius vel solum nomen latè terrorem incutiebat.

Proderit deinde, si in Superiori patrem fenserint, matris viscera, si sollicitam vigilemque in suorum necessitatibus, in ægritudine potissimum, curam; si liberalem manum,

num, si vltro suos in fiduciam prouocantem, si expandentem pectus, si remotam à politica & aulica rationem, si plura rebus prestantem, quàm verbis spondentem.

Occupandi tales ac variis distinendi, ac à minoribus paulatim ad maiora audenda propellendi, laudandi, factaque eorum mediocria in maius extollenda, consiliis vltro admouendi, magnanimis adiungendi, vt horum consortio audere incipiant, timere desinant.

Spiritibus exercitationibus, piorumque librorum lectionibus iuuandi, locorum etiam ac munium mutationibus, maximè si in familiam aliquam munusque propendeant, è quo meritò damna timeri non possint.

Gregorius Magnus modum ingenia hæc pertractandi præscribit: *Puissanimes amplius ad iter bene agendi reducimus, si quædam bona illorum ex latere requiramus, vt dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus: quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata castigat. plerumque autem vtilius apud illos proficimus, si eorum gesta memoramus, & si qua ab eis inordinatè gesta sunt, non iam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant, prohibemus. vt & illa que approbamus illatus fauor augeat, & contra ea que re-*
pre-

*prehendimus, magis ad pusillanimes exhortatio
verecunda conualeſcat.*

Ingens in hoc malo certumque reme-
dium à diuinæ bonitatis ac potentiæ con-
sideratione, ac à validis illius promiſſis, &
teſtata omnibus retrò ſæculis inſperantes
in ſe munificentia, adeoque à prodiga il-
lius inſidentes manu, peti poteſt. audeat
proinde ſperare homo, maiora largietur
Deus. neſcit enim ab homine vinci Deus,
omni humana confidentia & ſpe maior.
prouocabit ergo ſe quiſquis malo hoc te-
netur, diuinæ bonitatis ac potentiæ im-
menſitate, profuſaque in ſupplices fiden-
tesque ſibi largitate.

In Superiore verò fortiter iuuabit, ſi cer-
tò ſibi perſuaſerit, munus ſibi à Domino
impoſitum. errare autem, aut fallere, aut
falli nõ poſſe in delectu ſuo Deum, nec in
interitum ſed in ſalutē imponere, tantum-
que ſemper virium conſeſſurū, quantum
oneris imponit; nec munificam antè dex-
teram contrahere, quàm benignitatis ac
potentiæ ſuæ diffidentia laborare viderit
hominem. quod vbi ſenſerit, auxilia retra-
hit, quibus indignam diffidentē mentem,
& de diuina potentia, aut promiſſorum
certitudine dubitantem, tanquam aut non
poſſit Deus, aut datam fidem fallat, arbi-
tratur.

tratur. cū vtrumque alienissimum à bonitatis ac potentiae infinitate sit. quo fit vt iustam illius iram, auxiliorumque destitutionem meritò prouocet. medebitur huic malo pusillanimus, si in magnam se spem potentiae ac diuinarum sponsonum erexerit, tam certus de cōsecutione, quàm fortis de fiducia fuerit.

Dicet fors ex hoc numero Superior aliquis, cū se vndique senserit innumeris propè difficultatibus circūfessum, ac tantum non insepultū, Quis tantis vno tempore occurrentibus, cū noua veteribus fœcundo malorum germine innascentur, sufficiat? mille modis temporalium sollicitudine discrucior, mensque spiritualibus intenta in diuersum & ad orationum alienissima, rapitur. additur comparandarum facultatum sollicitudini, amittendarū maior etiam metus. sed & domestica non raro angustiae implexam mentem tenent, semper dubiam, semper incertam, pendulam, & ad non pauca minùs religiosa impellunt. potens suada necessitas, fortis orator inopia est, nec minor egestatis metus. Accedunt priuatę difficultates: multorum à recto bonoque, veterique instituto, moribusque, & à primæuo maiorum spiritu deflexio. hic iudicem ignemque ferrum-
que

que etiam in extremis & perimentibus perhorrescit: ille medicam omnem Superioris manum auersatur: iste non tantum medicam, sed & clementissimi patris dexteram indignabundus repellit, non vinum, non oleum à Samaritano propinatū admittens. alius nec matris quidem vbera solo lacte manantia suscipit. sunt qui mansuetudine iuxta ac seueritate indurescant. exasperantur nimirum in his à quacunque manu vulnera morbi que.

Quid agat Superior tot vno tempore malis obseffus, cum in triginta inferioribus triginta diuersorum morborum genera numeret? quis vnus tot mutuò aduersantibus medebitur, aut in tam pugnantes se formas vertat? hinc hilaritatem, ibi mœrorem, alibi maturitatem, seueritatem, & exinde amœnitatem ac lepores præ se ferat? mollia duris, læta tristibus, calida frigidis, amara suauibus, mella nimirum felle, quis docta malis mederi manu misceat? aut adeò inuicem aduersantium quis vnus vno non rarò die hora que conditiones induat? quis verò non indignetur tot sæpe laboribus, vigiliis, monitis, studiis precibus, lacrymis, optatos speratosq; non respondere euentus? è semente bona tot zizaniorum aceruos, tot è cultissima vite labru-

T t scas,

scas, tot è fœcundo germinis boni trunco spuria vitulamina non actura radices, nec in posteritatē itura, sed & infortunato ferè exitu fusos labores claudi? & ingratiſſima spongia detergi? nulloque spiritualium emolumento annos annis tanquam infelicis matris infortunatam sobolem succedere? & cùm in orbem recurrant labores, frustrari semper optatis? toties eadem inculari, mollibus, acribus, lenibus, fortibus nec meliore euentu, quàm si Æthiops laues? Adde, post hæc omnia, pro messe horreo Dominico inferenda, pro laude, & gratiarū actione, pro gratulatione, & mutui amoris ac benevolentia redhibitione, oblocutionum ac detractionum plena plaustra, animumque ingratum, odioque, dolo ac maleuolentia plenum, inuidiaque natantem.

Grauiæ hæc sunt, si se viresque suas Superior intueatur. vt non immeritò desperet de euentu, & post nequidquam tentata remedia, deponat ægri sui curam, committatque fortuitis naturæque morbum, nec vltra manum extēdat in curationem: seque etiam adeò, si alia omnis elabendi via desit, in alta recondat eremo, vt sibi Deoque viuat.

Verùm si oculos coniecerit in Deum,
pude-

pudebit illum cogitationum harum. conferat proinde sudores, lacrymas, Christi sui sanguinem cum suo. videat quàm prodigè illa Christus fuderit, quoties calcata ingrata humano pede, quot millibus frustra fluxerint, quoties totis regnis irrita crucis vulnera steterint.

Seipsum deinde Superior intueatur, adolescentiæ, ac fors maturioris etiam ætatis crimina, teporem, ignauam negligentiam, prostratamq; ac supinam socordiam; quoties pulsantem monentemque Dominum neglexerit; quàm male innumeris in se nullo suo merito collatis beneficiis responderit; quoties illius immemor sanguinis per varia vitiorum genera volutatus, nequidquam minitante, increpante, inuitanteque ad meliora Deo, promissis etiam nouis vetera dona sua onerante, surdas aures præbuerit; & erubescet ad ingrati animi sui, cælo terrisque testata documenta. & non mirabitur suorum ad monita sua ignauum neglectum; qui dura toties ceruice Dei monita excusserit.

Cogitet etiam nihil sibi de labore deperire. se quantur, impugnentue monita inferiores; manet Superiori cælo merces reposita magna nimis, tantoque manet maior, quanto difficilioribus colluctatur.

T t 2 neque

neque enim ab euentu, sed à voluntatis & amoris magnitudine merita donaque metiri sua solet Deus.

Denique magnam se in spem erigat bonitatis diuinæ, certus pro fidei ac spei magnitudine cogitationes cessuras. gaudet humana fiducia Deus, & complacet etiam sibi in illa, delectaturque prouocari in dona, & munificentia suæ nubes magnæ fiduciæ impulsu concuti, quò illas resoluat in imbres, & lata liberalitatis suæ maria.

CAPVT LI.

Impatientia in aduersis.

Sive è laboris tadio, ex innata ignauia & torpore, siue è mali magnitudine, aut è desperatione profectus ac felicioris exitus, aut victoriæ consequendæ, siue è fiduciæ in diuites Dei sponfiones languore; aut virium denique suarum, aut caelestis auxiliij diffidentia nascatur; non vltimum malorum est. Hinc enim indignationes exurgunt, odiaque siue in eos quos scimus, siue quos auctores arbitramur, & sæpe innocentiam impetimus, & ea in innoxia capita struimus, quorum meritò æternum pœniteat. qui error nulla plerumque indu-
stria

stria corrigi potest, cum damna ea data sint, in quibus fera omnis emendationum cogitatio est, quæque nulla pœnitundine ac lacrymis elui, nullo pretio reparari possunt.

Iam si damni illati auctor innotuit, grauius etiam insurgimus. nec iure an iniuria acceperimus, examinamus; satis in vindictam & fouenda odia est accepisse. ita ferè omni ratione viduata impatientia est. atque hinc temerarij profiliunt ausus. pericula damnaque nulla sunt, si vindictæ locus cõceditur. etiam per latus proprium, quis hoc malo tenetur, gaudebit alterius peti posse: & suaue illi ferrum est, si eodem cadat hostis; molle telum, si vtriusque configat pectus.

Quid? quòd furori proxima omnis impatientia sit, & belluarum veriùs more quàm humano fertur in præceps, vt præcipitia & surgentia cælo saxa planities illi sint, si hoste in valle viderit; maria torrentes, si in litore aduersarius steterit. ita non suo ducitur, sed alieno rapitur impetu: neque talis in aduersarium it, sed ventorum more cæco proruit impetu.

Accedit impatientiæ non rarò comitem esse pusillanimitatem. cum enim aut mali magnitudine vincitur qui patitur, aut

T t 3 igno-

ignoratus damni illator, aut vindicta maior, aut nullus vindictæ modus; labimur ferè in mœrorem & languorem, in vitæ tedium, in mortis cupiditatem. mori enim delectat, cum viuere pigeat: hinc morbi intima quæque & robustissima depascunt. sed neque ferro parcimus, bis impij, aut sanè contabescit homo, & nullum iam corpus, sed corporis sui umbra quædã est.

Perpetuis deinde cor pulsatur anxietibus, hæretque ad omnia pavidus animus, & ad tutissima quæque contremiscit. nec sibi satis fidit: carissimos quosque & antè amicissimos inter hostes numerat: ut nunquam tuta sit illi fides, nulli se credat, cum in omnium oculis fraudes legat, in omnium ore venena, in omnium manibus ferum, in omnium fronte hostem.

Perit ex hinc illi omnis meriti corona, omnis præmij brauium, omnis triumphus gloria. æterna an peritura proponas, iuxta habet. mercedem sponde; mercedis omnis contemptor est. æternam nature propone gaudia; somnium illi gaudia sunt, & omnes cælestium diuites sponsones: cum nihil videat præter malum suum, nihilque cogitet præter vindictæ modum. quin ad eò, propone Deum; credes maioris illum facere grauitatem qua premitur mali, quàm aut
illius

illius offensam, minas, pœnas; aut præmia & gloriam. Imò cum è re nulla alia maior honor quàm ex aduersantibus pareretur; quod illi in salutem cœlitus concessum erat, vertit in interitum, medicamenta in venenum. misera omnino conditio, cum quæ in vitam diuite Dei manu porrecta erant, in mortem commutantur.

Omnis etiam fetalis prudentia spoliatur, prouidentia nudatur. neque enim statui prudenter prouideque aliquid potest, quàm diu impatientia occupauit mentem; non anteuerti mala, non præsentia excuti, non futura præcaueri possunt. quare in mille fetalis conijcit discrimina, quorum fuga & euitatio compositam præsentemque sibi animum iactationibus vacuum deposcit.

Remedia.

PRoderit in primis frequenter secum meditari, magna illū sperare aut promittere non posse, quæ aduersa non eruderunt. lecto, puluinaribus, mollibusque assuetus, mollia dabit, nec manum ad magna extendet. ardua virtus poscit, & exitum per aduersa pectus. vis viro & cælo digna? duris, inamicis, difficilibus assuesce. callum nimirum antè per aduersantia ob-

T t 4 du-

ducat quisquis æternatura cogitat. adeo-
que quisquis pacatam vitam desiderat, du-
rioribus antè mentem exerceat, ne fortui-
tis turbetur, ne incurrentibus obteratur,
ne cedat malis, sed contrà audentior eat.
vt nimirum animos ab aduersis mutuetur,
audeatque vltro prouocare fortunam, ab
amica illa, aut inimica manu veniat. nam
quid refert ad gloriam & laudem, hostis
oppugnet apertus an tacitus? qui inimici-
tiam factis verbisque, an qui amicitiam
verbo, hostilitatē rebus profitetur? vtrim-
que vulnera sunt, fluit ab vtroque ferro
sanguis. nisi quòd graviora ex insidijs, &
amica manu cadant; quia inopinata, & in-
ermi ferè pectore accepta. eo laudis & me-
riti materies maior. Nam illa, Non puta-
bam, non expectabam ab hac manu, post
tot amicas dexteras inimica exurgere ar-
ma, hostilia tela ab amica pharetra; ab
ignauo pectore & ore veniunt. & quid re-
fert à qua manu veniant mala? animum
antè para, & cogita ab omni posse euenire
quod ab hoste venit, posse tibi accidere
quod Amasæ loabi ferro. & quot iam inde
à ludæ osculo in Domini iugulum surte-
xerunt?

Quid si Superior sit qui infert, quid si
inferior? à patre in filium, à filio in patrem?
&

& quoties à primordio creaturæ in creatorem insurgunt? quoties tu in Dominum, Iudicem, Regem, Patrem? in Conditorẽ, Redemptorẽ, in Deum? teipsum proinde intueri, post tot beneficia creatis, cõseruantis, redimentis, sanguinem fundentis, amantis, adoptantis, cælorum hereditatem spondentis Dei: post omnibus retrò sæculis pœnas minitantis, & æternum inter perennantes flammis minitantis Dei. post cælorum excidia, ignium sæuitiam, dæmonum carnificinam nullo æuo ponendam, nullo mitigandam. & insurgis tamen, & ferrum audes stringere, & iterum flagra, columnam, spinas, crucem, clauos, vulnera intentare. facit hoc quisquis calcata Dei voluntate, imperio spreto, letali se scelere inuoluit: & toties facit quoties se illo inuoluit.

Quid si Superior sit qui patiat, à quacunque manu; cogitet illud Bonaueturæ: *Per has aduersitates Prælati à puluere peccatorum purgatur, quem contraxit ex humana infirmitatis surreptione. In multis enim offendimus omnes, & in pluribus negotijs, plures negligentia sæpe fiunt, à quibus necessum habent hinc purgari Prælati, ne illic durius puniantur; iuxta illud, Si iniquè aliquid gesserit, corripiam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum:*

De 6.
alis c. 5.

Iac. 3.

2. Reg. 7

T t 5 per

per has etiam dum deprimatur, à tumore superbia custoditur: qua potentibus periculosius insidiatur, dum & sublimitas officij, & libertatis licentia, & boni operis placentia, facile mentem eius extollerent; nisi aduersitatis iugum collum præsumptionis eius humiliaret, & sic à superbia voragine defensaret. custos enim salutis & profectus boni rectoris est humiliatio aduersitatis, sine qua eum successus prosperitatis citò eleuasset in ventum præsumptionis. Vnde David secundum cor Dei electus, quando premebatur aduersis, deuotissimus fuit & humilis; quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam elationis, ipso attestante cum dicit, Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.

Psalm.
xii.

Si inferior est qui impugnatur, cogitet Primò, per hæc viam sterni ad magna. Secundò, parari animum in aliorum subsidium & mœrentium solamen, iacentium ac prostratorum erectionem. Tertio, magni meriti materiam subministrari. Quarto, magnam animo tranquillitatem ac malaciam parari, dum per has iactationes roboratur, & assuescit duris, & vsu ac consuetudine quædã paullatim familiaritas cum aduersantibus intercedit. Quintò, crescere his tacitè spiritum ac roborari, iuxta illud: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat

exurgat nocte & die, & semen germinet, & crescat dum nescit ille.

Iuuerit verò plurimū, Christi, Diuæ Virginis, Sanctorum cælo ascriptorum mores vitaque sæpius repetita. hæc enim animos firmabit, & aduersantibus maiores dabit. sperata etiam promissaque cælo præmia. quare cū aut aduersi aliquid intercurrerit, aut impatiētia motus insurrexerint, Christi tui fufum pro te sanguinem, verbera, vulnera crucemque cogita; & non magno negotio sæuientes animorum fluctus cōpesces: maximè cū ab orbe toto delectam sibi gentem tot beneficiorū prærogatiuis, iam inde ab exordio cumulatam, crudelissima pati videris. quin adeo, post tot benefica in te manu collata, vt opprimi ac insepeliri beneficiis potueris, non cessas diurnis diuinorum mandatorum transgressionibus, vindicem in te Dei dexteram prouocare; & parcit ille tamen, & perfert scelera, nec iudicem statim manum extendit. miseretur potius, & meliora exspectat parcere facilis, ac maioribus etiam post seriam pœnitudinem bonis exornat.

Consultum fuerit sæpius illud memoria repetere: *Confortamini, & non dissoluantur manus vestra: erit enim merces operi vestro.* Paral. 15.

Quæ

*De 6. Quæ manus, Bonauentura teste, instantia
alis e. 5. sunt in agendo, & patientia in sufferendo quod
grauat. quæ si non dissoluantur per desidiam seu
intolerantiam, merces æterna ei cumulabitur.*

† *Referendum hoc caput ad librum secundum,
post caput 2. folio 172.*

*Curiosior inuestigatio imperfectionum
Superiorum.*

QUÆ res magnam animi inquietudi-
nem ingenerat, ingentium turba-
rum causa; cùm curiosior hæc inuestiga-
tio, tanquam validis aduersantibusque
uentis, mentis malaciam ac tranquillita-
tem euertat, perpetuisque quibusdam fla-
tibus fluctibusque serenitatem turbet, ac
è sede sua depellat. neque enim stare in il-
la mente tranquillitas potest, quæ peren-
nibus iactatur motibus, curiosioreque in-
uestigatione continua iactatione concuti-
tur. vt taceam contemptum paullatim Su-
periorum nasci. Neque enim fieri potest,
quin aliqua nonnunquam minùs per om-
nia laudanda, quædam fors etiam dam-
nanda solers disquisitio, ingeniosa semper
in